

Catergian - De Fidei Symbolo. 1893.

DE

FIDEI SYMBOLO

QUO ARMENII UTUNTUR

OBSERVATIONES

OPUS POSTHUMUM

P. JOSEPHI DR. CATERGIAN

EX CONGREGATIONE MECHITHARISTARUM.



VIENNAE

TYPIS PP. MECHITHARISTARUM

1893.

Im Verlage der Mechitharisten-Congregation in Wien, VII/2 Mechitharistengasse 4, sind erschienen und durch dieselbe zu beziehen

Byzantinische Denkmäler.

I.

Das Etschmiadzin-Evangeliar.

Beiträge zur Geschichte der armenischen, ravennatischen und syro-ägyptischen Kunst

von

Dr. Josef Strzygowski

Privat-Docent der Kunstgeschichte an der Universität Wien.

Mit 18 Illustrationen im Text und 8 Doppeltafeln, 4°, VIII. 128 S.

Preis: fl. 7.50 = M. 13.— = sh. 12.50 = Frcs. 17.— = R. 6.—.

Stimmen der Presse.

„Münchner Neueste Nachrichten" 1891, Nr. 225. . . . . . Die byzantinische Kunst ist bis auf die neueste Zeit noch gründlicher vernachlässigt worden als die byzantinische Literatur und Geschichte. Nur die Architektur ist durch einige verdienstliche Arbeiten aufgehellt worden; über der Malerei und Plastik liegt noch heute ein fast völliges Dunkel, aus dem höchstens die unsichere Ahnung auftaucht, dass hier die spätrömisch-griechische Kunst ohne inneres Verständnis fortgepflanzt wurde und nachmals mit ihren erstarrten Typen und ihrer konventionellen Technik dem Abendlande die Anregung zu einer neuen Kunstthätigkeit lieferte. Was die Erforschung dieser ebenso ausgedehnten als unbekannten Epoche der Kunstgeschichte vor Allem behinderte, war die mangelhafte und spärliche Veröffentlichung der Denkmäler. Daher musste Strzygowski zuerst mehrere langwierige und mühevolle Reisen unternehmen, um überhaupt den Bestand der Monumente im Allgemeinen festzustellen und sich von den wichtigsten getreue Abbildungen zu verschaffen. Er beabsichtigt, als Grundlage und Vorarbeit für die Geschichte der byzantinischen Kunst selbst, zuerst die Ergebnisse dieser Studienreisen zu veröffentlichen. Der seit einigen Wochen vorliegende erste Band seiner „Byzantinischen Denkmäler" enthält — weit mehr, als man nach dem Titel erwartet — eine ziemlich erschöpfende Untersuchung über die Faktoren, aus welchen sich die armenische Kunst herangebildet hat. Das Etschmiadzin-Evangeliar bildet nur den Ausgangspunkt dieser nach allen Seiten ausblickenden und namentlich auch für die ravennatische und syro-egyptische Kunst belangreichen Untersuchung . . . Dr. Karl Krumbacher.

„Revue critique", 1891, No. 49. . . . . Le volume que nous annonçons ici est le premier d'une série qui promet d'être fort intéressante. . . . .

Il faut louer la vaste érudition et l'ingéniosité remarquable avec laquelle M. Strzygowski a tenté, par le rapprochement des types artistiques, de déterminer la date et la provenance des monuments qu'il étudiait. . . . . Il faut souhaiter que M. Strzygowski se hâte d'appliquer à des monuments plus considérables — ceux qu'il publie aujourd'hui sont de second ordre seulement — les remarquables qualités d'érudition, de conscience et d'ingéniosité dont il a fait preuve dans cette étude.

Ch. Diehl.

„Literarisches Centralblatt". 1891. Nr. 27. — . . . Sehr willkommen muss man es . . . heissen, dass ein junger deutscher Gelehrter die Kunstgeschichte des Orients, wie es scheint, zum Hauptgegenstande seiner Forschung zu machen gewillt ist. . . . Den ikonographischen Weg schlägt . . . der Verfasser ein, und seine mit Umsicht und Scharfsinn geführte Untersuchung kommt zu dem überzeugenden Ergebniss, dass die Elfenbeintafeln des Etschmiadzin-Evangeliars ravennatischen Ursprungs seien. . . . . Schneller als man es voraussetzen konnte, hat der Verfasser diese Hoffnung erfüllt. Seinem rastlosen Fleiss, seinem Spür- und Scharfsinn hat er nun wissenschaftliche Besonnenheit und gesunde Kritik gesellt; das gibt der vorliegenden Untersuchung dauernden Werth. H. J.

DE

FIDEI SYMBOLO

QUO ARMENII UTUNTUR

OBSERVATIONES

OPUS POSTHUMUM

P. JOSEPHI D[R.] CATERGIAN

EX CONGREGATIONE MECHITHARISTARUM.



VIENNAE

TYPIS PP. MECHITHARISTARUM

1893.

De Fidei Symbolo

quo Armenii utuntur observationes.

1.

Quid de origine huius Symboli veteres Armenii, quid recentiores, quid tandem aliarum nationum scriptores?

Permulta iam saecula Armeniorum Ecclesia eiusmodi Fidei professione vel Symbolo utitur, quod neque Nicaenum omnino neque Constantinopolitanum penitus dixeris, et, uti fertur, nullo alio, fere ab initio acceptae Christianae religionis, unquam usa est.

Quae modo inter Catholicos aeque ac Acatholicos Armenios huius Fidei professionis formula viget, si pauca admodum excipias discrepantia ita se habet:

„Հաւատամք ի մի Աստուած Հայրն ամենակալ, արարիչն երկնի եւ երկրի, երեւելեաց եւ աներեւութից. եւ ի մի Տէր Յիսուս Քրիստոս, յՈրդին Աստուծոյ, ծնեալն յԱստուծոյ Հօրէ Միածին նախ քան զամենայն յաւիտեանս, Աստուած յԱստուծոյ, լոյս ի լուսոյ, Աստուած ճշմարիտ յԱստուծոյ ճշմարտէ ծնունդ եւ ոչ արարած· նոյն ինքն ի բնութենէ Հօր, որով ամենայն ինչ եղեւ յերկինս եւ յերկրի, երեւելիք եւ աներեւոյթք· որ վասն մեր մարդկան եւ վասն մերոյ փրկութեան իջեալ յերկնից մարմնացաւ, մարդացաւ, ծնաւ կատարելապէս ի Մարիամայ սրբոյ Կուսէն Հոգւովն սրբով որով էառ մարմին,

„Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Deo Patre Unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, ex eadem cum Patre natura; per quem omnia facta sunt in coelis et in terra, visibilia et invisibilia; qui propter nos homines et pro nostra salute descendens de coelo incarnatus est, homo factus est, natus est perfecte de Maria Sancta Virgine per Spiritum

Հոգի եւ միտս եւ զամենայն որ ինչ է ի մարդ, ճշմարտապէս եւ ոչ կարծեօք. չարչարեալ, խաչեալ, թաղեալ, յերրորդ աւուր յարուցեալ, ելեալ յերկինս նովին մարմնովն՝ նստաւ ընդ աջմէ Հօր. գալոց է նովին մարմնովն եւ փառօք Հօր ի դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս. որոյ թագաւորութեանն ոչ գոյ վախճան:

Հաւատամք եւ ի սուրբ Հոգին յանեղն եւ ի կատարեալն, որ խօսեցաւ յօրէնս եւ ի մարգարէս եւ յաւետարանս, որ էջն ի Յորդանան, քարոզեաց զառաքեալն եւ բնակեցաւ ի սուրբսն:

Հաւատամք եւ ի մի միայն, ընդհանրական եւ առաքելական եկեղեցի. ի մի մկրտութիւն, յապաշխարութիւն, ի քաւութիւն եւ ի թողութիւն մեղաց, ի յարութիւն մեռելոց, ի դատաստանն յաւիտենից հոգւոց եւ մարմնոց. յարքայութիւն երկնից եւ ի կեանս յաւիտենականս,,:

,,Իսկ որք ասենն՝ էր երբեմն յորժամ ոչ էր Որդին կամ էր երբեմն, յորժամ ոչ էր սուրբ Հոգին, կամ յոչէից եղեն, կամ յայլմէ էութենէ ասեն լինել զՈրդին Աստուծոյ եւ զսուրբ Հոգին, եւ թէ փոփոխելի են կամ այլայլելի, զայնպիսին նզովէ կաթողիկէ եւ առաքելական եկեղեցի:,,

Sanctum, per quem assumpsit carnem, animam et mentem et omnia, quaecunque in homine sunt, veraciter non per phantasma; passus, crucifixus, sepultus, tertia die resurrexit; ascendit ad coelum eadem carne, consedit ad dexteram Patris. Venturus est eadem carne et cum gloria Patris iudicare vivos et mortuos; cuius regni non est finis."

„Credimus et in Sanctum Spiritum increatum et perfectum, qui loquutus est in lege et in prophetis et in evangeliis, qui descendit in Jordanem, praedicavit missum et habitavit in sanctis."

„Credimus et in unam solam universalem et apostolicam Ecclesiam, in unum baptisma, in poenitentiam, in remissionem peccatorum, in resurrectionem mortuorum, in iudicia saeculorum animarum et corporum, in regnum coelorum et in vitam aeternam."

„Qui vero dicunt quod erat quondam, cum Filius non esset, vel quod erat quondam, cum Sanctus Spiritus non esset, vel ex non entibus eos extitisse aut ab alia substantia Filium Dei sive Sanctum Spiritum esse affirmant, et quod mutabiles sint vel alterabiles, illos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia."

Hac eadem fidei formula ante baptismi collationem in tcaechumenatu atque in sacra liturgia quotidiana — quotidie enim Symbolum apud nos in Missa recitatur — catholici passim et acatholici utuntur; hanc catechetici libri exhibent, hanc denique in privatis quoque catholicorum Christi fidelium orationibus quisque usurpat. Inde fit, ut de huiusmodi Symboli origine atque auctore inquisitio omnes et singulos aeque tangat alliciatque.

Peculiare tamen momentum haud immerito esse censerem, quod ipsum hoc Symbolum partem, et quidem non ignobilem efficiat librorum nostrorum liturgicorum, quorum versio ad mandatum S. Sedis in nostra synodo Provinciali Patriarchatus Ciliciae anno 1869 suscepta, et per convocationem S. Concilii Vaticani interrupta fuit. Quamobrem operae pretium fere iudicarem in originem, auctorem et statum textus veri accuratius indagare: verbo historiam eiusdem paulo perspicuius perlustrare.

Iis sane ex nostris patribus, qui Fidem hanc primi in usum acceperant, promptum esset de hac re responsum; at labente non exiguo tempore vanescere huius fidei professionis originis memoria inter Armenios facile potuit.

Nemo hucusque, in quantum nobis constat, de hac materia serio disputavit, sed hypotheses quaedam etsi gratuitae pro certis consideratae et communi consensu receptae sunt. Quod veteres attinet, hi celeriter, ut videntur, obliti sunt differentiae illius, qua hoc Symbolum a Nicaeno divergit, cum recentiores omnes, sine exceptione, nostrates aeque ac extranei, illud ad instar producti specialiter Armeni considerent, quamvis ex aliqua jam diligenti consideratione earum rerum, quibus hoc Symbolum ultra mensuram Symboli Nicaeni abundat, facile origo eius graeca, eius nexus cum historia dogmaticarum controversiarum antiquae graecae Ecclesiae clara et indubia apparere deberet.

Videamus primo antiquos.

Hanc Fidei formulam eandem ac Nicaenam esse vel ipso VI. exeunte aevo maiores nostri censuerunt, qui illam propterea veluti omni ex parte Nicaenum Symbolum passim proferebant. Nam vel ab ipsa Abrahami Armeniorum Catholici aetate (c. an. 595), imo et superiori memoria, cum nempe ante ipsius Abrahami electionem Catholicalis Sedis vices sacras Verthanes Grammaticus gereret, in eius ad Iberorum Catholicum Cyrion epistolis impropria haec nomenclatura

invaluit: „In universo orbe“ inquit praecitatus Vicarius, „in orthodoxorum conventibus post Evangelii lectionem, quae Nicaeae definita est, fidem recitamus[1].“ Atque in sua epistola tertia ed eundem Cyrion ipse Abrahamus scribit: „Beati patres, qui Nicaeae congregati sunt, ita docuerunt secundum Apostolorum doctrinam, dicentes: Credere unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, et unum Dominum Jesum Christum.“ Verba: coeli et terrae non sunt Nicaeni Symboli. Idem alios deinceps locos ex nostro Symbolo in sua ad episcopos suffraganeos Encyclica effert. Insequenti vero aetate veluti Patrum Nicaenorum professio istud Symbolum ex integro in epistolam adsciscitur, quae Catholici Nersetis Aedificatoris eiusque suffraganeorum nomine exstat apud Sebeum episcopum eiusdem VII. saeculi scriptorem (Hist. Arm. libr. III. cap. 33). Eodem saeculo Symbolum hocce quin idem esset ac Nicaenum, minime dubitavit Catholicus Comitas in suo (nondum edito) sermone. Eousque tandem haec invaluit suppositio, ut posteriori nondum dimidiato aevo, vel ipsi Joanni philosopho Armeniorum Catholico facile plane asserere fuerit: „Sancti Patres Nicaeae congregati dixerunt consubstantialem patri pro nostra salute hominem factum ex Maria Sancta Virgine per Spiritum Sanctum; ac dein naturae nostrae perfectiones singillatim commemorant: animam, carnem ac mentem; eumque in coelum eadem cum carne adscendisse, eademque carne venturum professi sunt“ (Tract. c. Phantast. pag. 55). Eadem ferme laudatus scriptor iterum alibi scribit, opp. omn. Joan. Phil. pag. 106: „Post completum sanctum Evangelium elata voce sanctam illam profitentur Fidem, quae a beatis sanctis Patribus Nicaeae data est Ecclesiae“. Ita etiam loquitur Chosrovius Anzeuorum episcopus, qui IX. Ecclesiae saeculo magna apud nos laude floruit; dicit enim: „Sancti Patres in Fide Nicaena haec verba explicite affirmaverunt: Natus est, aiunt, perfecte ex Maria Virgine per Spiritum Sanctum, per quem sumpsit carnem, animam atque mentem omniaque, quaecunque in homine sunt, vere neque ficte.“ (Explan. Brev. edit. Cp. pag. 179). In qua vero re prorsus novi nihil fert et divus Gregorius Narecensis inclytus eius filius in suo precum libro (Edit. parva Venet. pag. 428—433).

---

[1] Hic homo monophysitismo mordicus addictus inclyto grammatici nomine reclamante, ignorat non in quavis Christiani orbis Ecclesia Symboli recitationem, lectionem evangelicam immediate sequi.

Ad Nersetorum porro usque tempora eius modi opinio obtinuit. Graecae namque latinaeque linguae non imperitus Nerses Lampronensis Tarsi episcopus, cum anno 1192 Missae explanationem conscriberet, rem hanc minime aliter videbat. Quandoquidem ille in citato volumine, uti antea in altero quoque opere, quod de Symboli explanatione inscripsit, peculiari Nicaenae Fidei nomine symbolum illud designat neque aliis nisi trecentis decem et octo patribus, qui pro Christi divinitate asserenda apud Nicaenorum urbem convenerunt, integre attribuit.

At vero huius ambiguitatis fons inde patebat, quod VI. vix ineunte saeculo symbolum, de quo modo agimus, in Armeniorum liturgia „Fides Nicaena" inscriptum est.

A Nersetorum aevo centum quinquaginta elapsis annis indiciis haud obscuris huius nomenclaturae falsitatem omnium primi odorati sunt Synodi Sisensis Patres, qui anno 1342 nequaquam suum Symbolum proprie Nicaenum dici posse conspicientes tunc primum latino sermone redditum ad Sanctam Sedem miserunt.

Mechitharistarum porro scholae alter servabatur labor. Cum ei inter nostrum et Nicaenum Constantinopolitanumque Symbolum omne statim discrimen innotuit, nonnisi huius discriminis causam originemque rimata est.

Divum Gregorium Armeniorum Illuminatorem, Nicaeni Concilii aevo adhuc in vivis agentem, quibusdam Symbolum auxisse verbis, eiusque successores usque ad Nersetem I. atque Isaacum I. dumtaxat pauca addidisse P. P. Papasian[1], Avedichian[2], eruditus Aucherian[3] aliique passim Mechitharistae Veneti aeque ac Viennenses nec non horum Praesul Babighian[4] plerique alii usque ad haec novissima tempora autumant planeque asserunt. Neque vero in Schematibus nuper laudatae Synodi Patriarchatus Ciliciae, quae nunquam sub secreto fuerunt, ulla de hac re lux apparet nova, sed solita repetuntur. (Vide Schematum cap. XII.: De Ecclesiasticis libris Armenicae Ecclesiae num. 11.)

Quod ad illos vero Armenios spectat, qui catholicam communionem non habent, nullius sane negotii est eiusmodi inquisitio. Moribus antiquis ita apud eos res stat omnia bona

[1] Vid. egregium sane eius opus, cui titulus: Exposit. Symb.

[2] Vid. eius opus: Sulle correzioni dei libri Eccles. arm.

[3] Adnot. ad Tract. Ioann. Philos. c. Phant. et vitae Sanctor. tom. V., pag. 426.

[4] Brevis demonstr. Viennae. 1817

juxta ac mala ab Gregorio Illuminatore recte deducere. Ecquis illorum vel leviter dubitare poterit quin huiusmodi Symbolum hunc Armeniae apostolum habuerit auctorem? Ita apud eos illustris praeceptor Pesdimalgian in opere, cui titulus: Tramites luminis, quae quidem elucubratio nil aliud est nisi Symboli expositio. Item Messerus in sua Doctrinae christianae Instructione, Matthaeus Archiepiscopus ac dein Ecimiazinensis Patriarcha, et praeceptor Joannes Deroenz apud eos rerum sacrarum eruditissimus in suo Periodico (cui nomen Erevag) 1865 Febr. 16. num. 55. pag. 53 nullam erroris suspicionem movent, quum Symbolum, de quo agimus, appellant disertis verbis: Symbolum Illuminatoris atque ut tale amplectuntur.

Atque adeo inter eos eiusmodi praeventio locum absolutae certitudinis obtinuit, ut in Catechismo, quem Doctrinarium dicunt mediae classis, anno 1858 edito, qui et examinatus approbatusque est ab eorum Patriarchali Synodo Constantinopolitana, pag. 58—61 postquam in enumeratione Symbolorum quartus locus assignatus est Symbolo Ecclesiae Armeniorum, a catechizandis hoc modo exquiratur:

„Q. Quodnam nostrum Symbolum?"

„R. Nostrum Nicaenum est, hac illac a nostro Illuminatore expositione declaratum."

„Q. Quaenam partes expositae?"

„R. Illae sunt, quae diversis litteris in praeposito Symbolo distinguuntur."

Et ibi hisce litteris, absque ulla exceptione, omnes differentiae distinguuntur.

Ut vero ad Europaeos scriptores accedamus, saepius hocce Symbolum in Liturgia Armena editum eos minime latuit. Le-Brunius Presbyter Oratorii Patris Pidou Ordinis Theatinorum in Armenia Missionarii versionem accepit, quum in suo opere omnibus cognito Liturgiam Armenam vulgavit; ibique asserit Ecclesiam Armenam enumerari inter illas, quibus juxta Rufini sententiam, opportunum visum est contra novos errores aliquid Symbolo addere. Postea notat auctor sex vel septem additiones, quas Armenii fecerint Symbolo Apostolorum, sumendo dein a fine Nicaeni anathematismum contra Arianos et diserte in hoc complectendo etiam illos, qui negabant divinitatem Spiritus Sancti (Lebrun, Explication de la messe, 1778 pag. 162—168). Simili quadam observatione terminat etiam Binterim (Anton Jos. Bin-

terim: Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche, Mainz 1825, tom. IV., Part. 2., pag. 235). Schröder illud dicit „Nicaenum, cui Constantinopolitanum insertum". (Joh. J. Schröder, Thesaurus linguae armenicae. Amster. 1711.) Omissis pluribus aliis veteribus, in recentissima aetate Eduardus Dulaurier in opere: Histoire des dogmes etc. de l'église Arménienne, 2[a] ed. 1857 pag. 132—134 et 175 repetit ad amussim omnia, quaecunque ab Armeniis dici solent. Felix Nève, professor in Universitate Lovaniensi, et, ut videtur, etiam linguae armenicae peritus, qui in sua dissertatione de Spiritus Sancti invocatione apud Armenios (Felix Nève, de l'invocation du S. Esprit dans la liturgie arménienne, Louvain 1862, pag. 14.) non dubitat integrum Symbolum Armenis tribuere, poterat quidem pervenire ad vestigia veritatis, si res ipsum tantum attigisset, quantum revera attigit Messerum, quem supra commemoravimus.

Is apud suos illustris magister in urbe Moscua religionis professor in Academia Armeniorum et in omni Armenia subiecta immediatae iurisdictioni Patriarchae Ecimiazinensis tamquam eximia auctoritas in Theologicis disciplinis habitus, quum ab anno 1850 in usum variarum classium catechismos ediderit (qui repetitis vicibus approbati sunt a novissimis duobus Patriarchis et a Synodo permanenti Ecimiazinensi), opportunum iudicavit eis praemittere dissertationem de Symbolo, de quo agitur, peculiari quodam genere eruditionis, quae non transgreditur fines editionum Armenicarum. Nos autem, qui cum illo negotium habuimus quinque abhinc annis, quum de controversiis inter Ecclesiam catholicam et Armenios acatholicos scribentes, designavimus variationes et titubationes doctrinae eorum in 50 postremorum annorum spatio supra basim catechismorum editorum auctoritate eorum Patriarcharum aliorumque superiorum, debitores adhuc sumus ei circa illam dissertationem praeliminarem de Symbolo.

Si Messer in huius Symboli defensionem speciatim vires intendere velit, non immerito hoc ab eo fit; causa enim non levis adest. Pars una ecclesiae Armenae acatholicae eaque centralis cogitur observare quasdam cautelas coram ecclesia, quae vocatur Russa vel Graeca, quae a nono saeculo usque hodie efformavit adversus Romanam Ecclesiam, omnium matrem et magistram, caput accusationis, quod haec inseruerit unicam dumtaxat particulam in Symbolo, quod licite

fieri negant Graeci et cum eis Russi, contendentes Concilium Ephesinum quamlibet additionem prohibuisse Symbolo: Nunc autem quid illi cogitare possent perspicientes in Symbolo, quod dicunt Armeniorum, longam additionum seriem, quas, uti fertur, ipsi Armenii inseruerunt. Ideo Gregorius Messer hoc Symbolum, fere unice apud suos vigens, tueri studet a molestiis et aggressibus partis Russicae, deducens a suis perquisitionibus conclusiones, quae sequuntur:

„Symbolum Ecclesiae Armenae idem est ac Nicaenum, tamen locupletatum explicationibus magis necessariis, partim ab ipso divo Gregorio Illuminatore, partim ab eius proximis successoribus, ante Concilium Ephesinum vitam agentibus, ut omnino reiiciantur perversissimi errores. Omnes praedictae explicationes vero, nunc quoad terminos, nunc quoad sensum, desumptae erant magna ex parte a Symbolo Concilii Constantinopolitani, quo utuntur adhuc Graecorum ecclesiae."

Deinde in cordis sui amaritudine pergit noster Catechista dicens: „Peccant igitur peccatum irremissibile, qui postquam hanc veritatem cognoverunt, denuo vitio inculpationis recidentes in suspiciones temerarias censurare audent Ecclesiam nostram intemeratam, quasi factae essent in nostro Symbolo additiones a nobis, adinventae vel profanae."

„Ecclesia Armena igitur," sic contendit hic Magister, „quum semel adoptaverit Symbolum Nicaenum (quod per S. Aristacen in Armeniam latum est approbatumque ab Illuminatore patre eius cum additione glorificationis, quae invenitur in fine nostri Symboli) curavit omni tempore, ut integrum servaretur et absque mutationibus, idque adeo summa cum veneratione, ut etiam post confirmationem et promulgationem Symboli Constantinopolitani, quod magis patet, non reliquerit neque prius neque posterius, et quod defuit uni, complens ex altero, utrorumque conservatrix fuit." (Instruct. doctr. christ. pag. XVIII—XXIII,)

Haec de Symbolo illo quaestio et alia Armenae Liturgiae et doctrinae momenta a Russis oppugnata aut invisa tractata et defensa sunt in sensu Messeri etiam idiomate et typis gallicis ab Eduardo Dulaurier, quem paulo ante commemoravimus, Professore Armenae linguae Parisiis. Omnia nobis suadent putare Armenios Russiae per calamum licet mercenarium Galli hominis suis rebus reputationem inter Russos captare voluisse. Sed tamen quis credere poterit hoc suppositionum cumulo satisfieri posse ecclesiae illius pasto-

ribus, qui, uti dixit noster Nerses Lampronensis septem abhinc saeculis, quum de eorum in errore praedecessoribus loqueretur, „volunt potius servire Deo mortalitate scripturae quam renovatione Spiritus“?

Et his solvitur totum, quod respectu originis Symboli nostri ad hunc diem assertum fuit. Res est certe singularis, quod per tot saecula omnium attentionem effugerit, quod Symbolum hoc jam Epiphanius in suo Anchorato, et quidem maxima ex parte adduxerit, et adeo jam nunc sine dubio asseverari possit, Symbolum hoc non esse nostrum proprium, et quod auctor eiusdem in omni casu extra Armeniam quaerendus veniat. Pro fortuna ante viginti fere annos textus quidem graecus, plus armeno consonans, quam ille, quem Epiphanius adduxit, e tenebris membranorum integre emersit, ut mox videbimus. Sed nec hic hucusque cunctis notus.

2.

Codices armenici. Textus restauratus.

Nec minor fuit negligentia illa, qua studium genuini textus armenici institutum est. Oh quantopere confunditur ludicra illa saepeque attentata Armeniorum non catholicorum jactantia, qua illi cuncta rem ecclesiasticam respicientia inde a tempore inductae Christianae religionis tuta et invariata sese conservasse asserere non reformidant. Illa perfecta firmitas textus etiam in minimis non habet initium nisi a fere trecentis novissimis annis, quum revera et in manuscriptis et in editionibus textus armenus nullam affert ne syllabae quidem in hoc temporis intervallo variationem. At quam aliter res se habet, si aperiantur manuscriptorum scrinia! Sane P. Papasian in duobus vel tribus locis adnotaverat variationes codicum, Pesdimalgian etiam plures, P. Aucher (ad calcem V. tomi Vitarum Sanctorum) quamvis comparationem cum 20 codicibus instituerit, non denotat, nisi unam tantum variantem.

Erant igitur lectiones variantes nostri Symboli, at non habebatur certum criterium determinandi vim earum, vel secernendi genuinam lectionem ab arbitratu amanuensium. Nunc feliciter in tali statu constituti sumus ob subsidium graeci textus, ut nobis impossibile non sit rursus in integrum restituere partes singulares in decursu saeculorum successive lapsas vel alteratas, quo perfectissima cernetur identitas inter armenum et graecum textum.

1. Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae. Quamvis non omnes, sed satis numerosi codices pro *արարիչ* (creatorem) legunt *արարող* (creantem), cum exemplari Nersetis III. in praedicta epistola ad Graecos saeculo VII. et cum altero exemplari in liturgiam inserto a Nersete Lampronensi in sua Expositione Missae, suffragante etiam codice Pesdimalgian cum tot aliis ab ipso observatis; id tamen nihil attinet ad textum graecum.

Verum coeli et terrae est quidem lectio a graeco discrepans et est pro *πάντων*, Nunquam variatio perspecta est codicum circa hoc punctum. Potuerit quidem aliquis opinari, sumptum esse a Symbolo Constantinopolitano quod inverisimile non esset. Nos tamen pro certo habemus nostrum interpretem graeco huiusmodi textu usum esse. Caeterum illa expressio coeli et terrae magis est idonea mentibus elevandis, quam simplex *πάντων*, praesertim cum perspiciamus Symbolum quoque Hierosolymitanum apud S. Cyrillum certe ante Synodum Constantinopolitanam eadam verba: coeli et terrae habere.

2. Et in unum Dominum Jesum Christum. Pesdimalgian monet in suo Codice simul cum aliis vetustioribus legi: Credimus et in unum etc., quod videmus etiam in opere adscripto Gregorio episcopo Arsarunensium ad calcem Catecheseon Cyrilli (edit. Constantinop. pag. 171) et licet nec graecus nec exemplar Nersetis III., neque alius codex pervetustus adhuc lectionem illam comprobaverit, posset tamen rationem suam habere in textu graeco, quo usus est interpres.

3. Genitum ex Deo patre Unigenitum, hoc est ex substantia Patris. In vigenti textu armeno legitur *էութիւն* (*οὐσία*, substantia) in illo Nersetis III. saeculo VII: *գոյութիւն*, quod nonnisi synonymum est priori.

4. De Deo vero genitum, non factum. Textus vulgatus armenus proprie habet; genimen, non creatura, quae lectio non est valde nova; nam etiam Nerses Lampronensis ita legit et in Liturgia et in Expositione Symboli. Altera vero lectio (*ծնեալ եւ ոչ արարեալ*, genitum non factum) videtur esse authentica; sic enim legit Nerses III. saec. VII. Pesdimalgian autem invenit vetustissimum Codicem eadem lectione et ego plures alios atque versio latina huius Symboli in Synodo Armeniorum Sisensi anno 1342 facta est super huiusmodi codice.

5. Eundem ipsum ex natura Patris vel melius: ex eadem cum Patre natura. Tota haec phrasis respondet terminis: *ὁμοούσιον τῷ Πατρί.* A nobis autem catholicis post iniunctionem S. Sedis pro ea adhibetur: *Համագոյակից Հօր* (= consubstantialem Patri). Et en punctum, de quo controversia est.

In hoc loco ut variatio inveniri posset, oportet nos ascendere ad saecula remotissima. Non possumus certe determinare tempus, quo incepit illud: eundem ipsum ex natura Patris, at saec. XII. iam praevalebat illa lectio. Nonnisi praevalere eam diximus; nam Lampronensis licet tam in Liturgia, quam in Expositione Missae ita legerit, in ultimo tamen opere legit etiam: ea ipsa natura Patris id est: habentem eandem ipsam naturam Patris.

Nihilominus manifestum est ex VIII. et VII. saeculi scriptoribus lectionem originalem huius versionis armenae non esse neque ex eadem cum Patre natura, neque eadem ipsa natura Patris, at *նոյնբնութիւն*, id est, connaturalem Patri. En ergo vox unica et exactissima simul versio graeci termini *ὁμοούσιον.* Ita legit Joannes Philosophus, ut supra vidimus, ita Moyses Grammaticus (Sermo in Transfig. inter opp. Moys. Coren.) et multo ante illos epistola Nersetis III. apud Sebeum Libr. III. cap. 33. pag. 202, ex saec. VII. Imo anteriori quoque memoria Joannes II. Armeniorum Catholicus in suo Tractatu de uno Christo ex duabus naturis, eandem profert lectionem, cum ait: *նոյնբնութիւն Բան Հօր,* (= connaturale Verbum Patri.) Tamen quum in armeno sermone parum in usu sit haec compositionis forma: *նոյնբնութիւն,* lapsu temporum unicum illud vocabulum paulatim in duo divisum est: *նոյն բնութիւն,* quod tunc significat: „eadem natura“ (in casu nominativo) et exinde efformata est demum phrasis: *նոյն ինքն ի բնութենէ Հօր,* cuius sensus est: ex eadem cum Patre natura, ut dictum est, sicuti egregie analysin fecit Dominus Eduardus Archiepiscopus Siracensis (in sua Theol. spec. tom. I. pag. 384 edit. 1ª).

Hoc insuper notandum, quod hic terminus *նոյնբնութիւն* (connaturalis) originem habet longe anteriorem saeculo VI.; etenim invenitur etiam in Symbolo pure Nicaeno, quo certe usi sunt nostri saeculi V. Patres, quodque nunc possidetur a nobis in lingua characteristica illius aevi, ut videbimus infra. Interpres vero Symboli, de quo disseritur, commutavit

tantumodo synonymum էութիւն (substantia) in բնութիւն (natura), quae permutatio observatur etiam apud Syros in eorum Symbolo. (Vide Pitra: Juris Eccl. gr. Hist. et monum. tom. I. pag. XLVI: qui eiusdem est naturae cum Patre suo).

Ex quibus omnibus plane consequitur, ut illa formula, quae hodie obtinet apud nostros dissidentes, licet nullum contineat errorem, non tamen digna sit illa magna aestimatione et adhaesione, qua eam afficit Messer, qui in hoc secutus est alios eiusdem sententiae cultores, quasi S. Gregorius ipse induxisset hanc phrasin in Symbolum pro celebri illo ὁμούσιος.

6. Per quem omnia facta sunt in coelo et super terram. Jure asserit Pesdimalgian codicem suum cum aliis veteribus legere: in coelo et in terra. Ita enim omnes codices. At in hoc textus vulgatus propius accedit graeco, quando legit: in coelo et super terram, quocum concordat etiam textus in Liturgia apud Lampronensem et anterius, textus in epistola Nersetis III. — Omnino non discreparetur a graeco textu, si iuxta textum Lampronensis adderetur: quae (in coelo etc.).

7. Descendit de coelo. In textu graeco non invenitur: de coelo. Revera neque illud habet textus Nersetis III. saec. VII., licet vulgatus Armenus illud habeat conformiter Symbolo Constantinopolitano.

8. Homo factus est, natus est perfecte ex Maria Sancta Virgine. Graecus textus, post homo factus est, et ante natus est, habet: hoc est; quia auctor expositionis vult hic additionem facere non parvam, ut demonstretur perfectio incarnationis, sicut etiam praemissam additionem: ex substantia Patris praecessit hoc est, et idem videbimus in sequentibus quoque additionibus.

Hactenus tamen hic loci non apparuit hoc est in Codicibus armenis.

Pro Sancta Virgine Graecus textus habet: semper Virgine, vel quia armenus interpres legit ἁγι (as) pro ἀει ob oscitantiam vel quia reapse ita erat eius exemplar.

9. Per Spiritum Sanctum, per quem assumpsit carnem, animam et mentem et omne, quidquid in homine est, vere et non ficte. Talis est hodiernus textus, qui tamen variis in punctis differt a graeco.

a) Asserit quidem Pesdimalgian per quem referri ad Spiritum Sanctum (l. c. pag. 50); antiqui vero codices non habent per quem, sed potius qui et, quod graeco consentaneum est.

b) Carnem, animam et mentem. Sic vulgo; graecus vero: carnem et animam etc., cui subfragatur textus armenus apud Nersetem III. medio saec. VII.

c) Adsunt nobis nonnulli Codices et nonnullos invenit etiam Pesdimalgian, quibus etiam Lampronensis in Expos. Symboli suffragatur, qui pro omne, quidquid in homine est, habent: omne quidquid est homo. Textum graecum in manu interpretis accurate hanc ultimam lectionem habuisse paulo post videbimus.

d) In graeco statim post in homine sequitur clausula: sine peccato. Id ex codicibus armenis nondum emersit; at Lampronensis proprie in hoc loco inserit vel legit: *բաց ի մեղաց*, (excepto peccato, *χωρὶς ἁμαρτίας*.)

e) Nonnulli Codices juxta vulgatum textum legunt dumtaxat: vere et non fictione (phantasmate) alii autem: vere et non phantasmate habens (vel habuit). quae referuntur ad qui et, de quo supra ad litteram a) notavimus; nonnulli tandem: vere et non phantasmata habens (*կարծիս ունելով*). Graecus verificat solum modo lectionem: vere et non phantasmate (ficte) habens (id est: carnem et animam ac mentem); unde complectendo omnia quaecunque praecedunt, lectio authentica et originalis est haec:

„Natus est perfecte ex Maria Sancta Virgine per Spiritum Sanctum; qui et carnem et animam ac mentem et omne, quidquid est homo, vere et non phantasmate habuit".

Accidit, ut post nonnula saecula hoc habens vel habuit suppressum sit in fine praemissae periodi eiusque loco in initio illius periodi insereretur verbum: assumpsit, quo facilior intelligentia huius articuli reddita est. Talis revera est causa, ob quam nonnulli codices, cum insererent novum assumpsit, servaverunt eodem tempore antiquum habuit vel habens (*ունելով*) unde orta est confusio; et in hoc casu aliquando phrasis: non phantasmate habens immutata est in non phantasma habens. Talis est textus in Liturgia apud Nersetem Lampronensem, et inter Codices S. Lazari Venetiis Codex cum characteribus uncialibus ab

anno 1284 (Brev. XXII.) huic rei argumentum praebet. Per se patet nondum inveniri assumpsit in Epistola Nersetis III., sed jam apud Chosrovium (Expos. Brev. pag. 179) saec. IX. nec minus in versione latina anni 1342 legitur assumpsit absque habens. — Praelaudatus Chosrovius conjungit non phantasmate sequentibus sic: et non phantasmate passus est etc., sed perperam.

10. Passus, crucifixus, sepultus. Textus graecus postponit verbo passus coniunctionem: hoc est, quoniam hic quoque sequitur additio aliqua ad passus Symboli Nicaeni, videlicet: crucifixus, sepultus, quae verba non leguntur in Nicaeno. In hoc loco codices armeni melioris notae hanc coniunctionis particulam servaverunt. Huius generis est exemplar selectum a Pesdimalgian, aliud epistolae Nersetis III, aliud praelaudati Breviarii XXII. Bibliothecae Mechitharistarum Venetiis et tandem duo exemplaria Bibliothecae Imperialis Regiae Viennae, Cod. Arm. 19 (pag. 106) et Cod. Arm. 14 (pag. 59). Aetate vero Lampronensis haec omissio videtur esse communis.

11. Ad ascendit in coelum cum eadem carne additur in Graeco gloria, quod non inventum est in armenicis codicibus; Lampronensis autem illud habuit in suo exemplari. E contra cum paulo post Armenius legat gloria Patris, Patris graeco deest.

12. Cuius regni non est finis. Codex Pesdimalgian aliunde non contemnendus legit in hoc loco: Cuius sancti et immortalis regni non est finis. Huiusmodi lectio nullum habet fundamentum in graeco textu neque putaverim eius originem nisi armeniacam et non alio modo efformatam nisi ex verbis mutuatis ex noto Trisagio orientali: „Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis“, quod apud Armenios ita habetur: „Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis“.

13. Credimus et in Sanctum Spiritum, increatum et perfectum, qui loquutus est in lege et in prophetis etc.

Hic comparando textum armenum cum graeco invenimus defectum non levem, ita, ut integer esset: Credimus et in Sanctum Spiritum, non alienum Patri et Filio sed consubstantialem Patri et Filio, increatum et perfectum, in Paracletum, qui locutus est in lege et prophetis.

Vix speramus posse redintegrari hunc locum solo Codicum armeniorum subsidio, quippe qui nobis praebeant nonnisi formulam in liturgiis usitatam, quae semper ad brevitatem intendit. Solus Lampronensis in expositione huius Symboli videtur in manibus habuisse inter alia perfectissimum exemplar, ubi integer legebatur hic locus, quoniam ille Pater explicans hunc locum de Spiritu Sancto, juxta graecum textum ait: „Neque alienus (Spiritus) ab eadem ipsa substantia Patris et Filii“. ubi cernitur in unam phrasin collectum ab Episcopo Tarsensi duplex membrum praecedentis periodi: Non alienus Patri et Filio, sed consubstantialis Patri et Filio.

Vox: Paracletus nondum prodiit ex armenis codicibus.

14. Praedicavit Apostolum (missum) et habitavit in sanctis. Sic omnes editiones. Sunt autem non pauci numero ii codices, qui juxta Graecum legunt: in Apostolis, uti iam antea legerunt Nerses III. et Lampronensis in Liturgia; verum etiam illa erronea lectio: Apostolum, qua plerique nostrum voluerunt, absque ullo fundamento, intelligere Christum, est non contemnendae antiquitatis, ut manifestum sit Lampronensem ante se habuisse utramque lectionem in expositione huius Symboli et sese accomodasse duplici earum sensui; quin etiam Gregorius Narecensis, qui tribus saeculis ante eum floruit, legisse videtur: Apostolum. Nihilominus versio latina Synodi Sisensis sub Catholico Mechitaro facta est ex exemplari, in quo legebatur: in Apostolis.

Quae postrema lectio unice genuina non illico immutata est in: Apostolum sed antea fuit: *զառաքեալսն* (Apostolos) uti exhibent permulti codices; quod cum nullum habeat sensum hoc in loco, immutatum est vulgo (una littera dempta) in: *զառաքեալն* (Apostolum seu missum), itaque recitatur hodie ubique et ab omnibus, sed perperam.

15. Credimus et in unam solam, universalem, Apostolicam Ecclesiam. Magna cum admiratione observaverat P. Papasian in nonnulis exemplaribus scriptum fuisse hoc loco: „Credimus et in hanc unam solam“ etc.; verum hoc et ipse graecus textus postulat.

In codicibus plerumque pronomen: *յայս* (in hanc) quum confundatur cum sequenti: *մի* (unam) scribitur: *այսմ* aut *ի յայս* aut *յայսմիկ* (Vide Codd. nostrae Bibliothecae Vienn.

num. 173 et 154). Nonnulli scribunt: in hanc universalem, omittentes: *մի միայն* (unam solam). Plerique confundentes: *յայս* (in hanc) etiam cum verbo praecedenti: *Հաւատամ* (Credo) legunt: *Հաւատայ այսմ* (Credit huic), quasi sensus esset: Credit his omnibus universalis et apostolica Ecclesia. Ita Codex Biblioth. Mechith. Venet. ab anno 1284 (*Հաւատայ այսմ միայն ընդհանրական* etc.) necnon exemplar in opere tributo Gregorio episcopo Arsarunensium. Ex tali codice facta est etiam versio latina Romam missa a Synodo Sisensi an. 1342, quoniam ibi ita legitur: Credit in his sola universalis Ecclesia.

16. In unum baptisma, in poenitentiam, in remissionem peccatorum. Sic vulgo. Textus graecus: in baptisma poenitentiae et remissionis peccatorum.

Saltem pars prior fuit etiam antiquitus in nostro Symbolo eadem forma, qua in graeco cernitur. Exemplaria sane Nersetis III. et Lampronensis non suffragantur in hoc genuinae lectioni, si licet fidem habere ammanuensibus et editoribus. At in codice Biblioth. S. Lazari (Brev. XXII) cum litteris uncialibus prima manu scriptum est: „in unum baptisma poenitentia“, postea altera manu ex voce: *ապաշխարութեան* (poenitentiae) efformatum est: *յապաշխարութիւն* (in poenitentiam).

Exemplar quoque Synodi Sisensis conforme fuit graeco, quoniam versio latina habet: „in unum baptisma poenitentiae“. Eadem formula certe a nostro Symbolo desumpta invenitur in illa Exhortatione, quae extat in Ritualibus Armenis manuscriptis et interdum cernitur ad calcem Collectionum Canonum Ecclesiae Armeniorum cum hoc titulo: Invocatio ad poenitentiam.

Adsunt denique codices, qui legunt: *ի մի մկրտութիւն ապաշխարութիւն* (ad verbum: „in unum baptisma poenitentiam“) quod certe sensum nullum praesefert; at argumentum praebet, quomodo dissoluta forma antiqua et una appicta littera sensim novae formae initium factum sit, quae est: *“ի մի մկրտութիւն, յապաշխարութիւն,,* („in unum baptisma, in poenitentiam“ etc.).

Formula Symboli Hierosolymitani apud Cyrillum habet: „in baptisma poententiae in remissionem peccatorum“. Non dubitaverim asserere etiam Armenum et consequenter Graecum quoque textum, ex quo armena versio derivata, originaliter talem habuisse hunc locum, qualem et Cyrillus in suo Symbolo legit; labente autem tempore complexum illius phraseos vir-

gulis (saltem in Armenio) divisum esse in tres partes, videlicet: in baptisma — in poenitentiam — in remissionem peccatorum, et ipse defectus coniunctionis et in Armenio novum huius rei argumentum nobis addere videtur.

17. . . . . . ex alia substantia dicunt esse Filium Dei. Graecus habet: ex alia hypostasi sive substantia *(οὐσία)* etc. Revera etiam Armenius textus apud Nersetem III. saec. VII. et multi Codd. habent juxta Graecum duplicem terminum: *էութիւն* atque *գոյութիւն*. In formula vulgata editionum omittitur unus, quoniam uterque in Armenio perfecte synonimus est.

18. Et, quod mutabiles sint, sive alterabiles etc. Propius accedit Graeco lectio apud Catholicum Abrahamum saec. VII. in sua epistola encyclica: sit mutabilis vel alterabilis. Ei suffragatur et epistola Nersetis III. saec. VII.

19. Eos anathematizat catholica ecclesia. Hic in comparatione graeci textus invenitur non levis abbreviatio in Armenio. Graecus legit: Hos anathematizamus, quoniam anathematizat eos catholica mater nostra et apostolica Ecclesia. Et anathematizamus omnes, quicunque non confitentur resurrectionem carnis, et omnem haeresin, hoc est eos, qui non sunt ex hac fide sanctae et unicae catholicae Ecclesiae. Huic omissioni (quae certe Armenio interpreti tribui non potest, quasi quum omnia vertisset, hunc solum omisisset locum) sane non potest remedium afferri subsidio codicum, qui hucusque nobis innotuerunt; tamen hic etiam textus, qui praebetur in epistola Nersetis III. saec. VII. nobis conservavit particulam ex illo loco, dum legit hoc modo: „Hos anathematizamus, quoniam anathematizat eos catholica“ etc. Ceterum, quod adhuc in Armenio deest, aliquod saltem eius vestigium nobis servavit Lampronensis in Expos. Symboli saepe a nobis citata, quando transcripsit paraphrasi totum anathematismum huic symbolo proprium hunc in modum: „Ii vero, qui alterabilem vel mutabilem unam et natura bonam divinitatem sanctissimae Trinitatis ausi sunt blasphemare et eius oppugnatores effecti sunt, anathematizamus et prohibemus eos a Deo et a benedictione fidelium eius recte sententium; neque nos tantummodo, sed

et universalis catholica et apostolica Ecclesia anathematizat et arcet eos a communione omnium sanctorum et Dei amantium; quoniam alienati sunt isti a matre, hoc est a principio vitae suae."

Ex quibus omnibus, quae passim adnotavimus, patet Lampronensem habuisse completum exemplar versionis huius Symboli prorsus independens a textu in nostris libris liturgicis vulgato. Igitur postquam ad eius pristinam integritatem revocavimus textum Armenium, utrumque ex adverso exponamus textum, Armenium et Graecum.

Armenus textus

ex codicibus restauratus.

Հաւատամք ի մի Աստուած Հայր ամենակալ, արարիչ երկնի եւ երկրի, երեւելեաց եւ աներեւութից. եւ ի մի տէր Յիսուս Քրիստոս յՈրդին Աստուծոյ ծնեալ յԱստուծոյ Հօրէ Միածին, այս ինքն յէութենէ Հօր, Աստուած յԱստուծոյ, լոյս ի լուսոյ, Աստուած ճշմարիտ, յԱստուծոյ ճշմարտէ ծնեալ եւ ոչ արարեալ, նոյնընութիւն Հօր, որով ամենայն ինչ եղեւ որ ինչ յերկինս եւ ի վերայ երկրի, երեւելիք եւ աներեւոյթք. որ յաղագս մեր մարդկան եւ վասն մերոյ փրկութեան, իջեալ յերկնից մարմնացաւ, մարդացաւ, (այս ինքն) ծնաւ կատարելապէս ի Մարիամայ սրբոյ Կուսէն Հոգւոյն սրբով, որ եւ (էառ) մարմին (եւ) հոգի եւ միտս եւ զամենայն որ ինչ է մարդ (ի մարդ) բաց ի մեղաց, ճշմարտապէս եւ ոչ կարծեօք ունելով. չարչարեալ, այս ինքն խաչեալ, թաղեալ եւ յերրորդ աւուր յարուցեալ, (եւ) ելեալ յերկինս նովին մարմնովն նստաւ ընդ աջմէ Հօր. գալոց է նովին մարմնովն փառօք՝ դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս. որոյ թագաւորութեանն ոչ գոյ վախճան:

Graecus textus.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου διὰ Πνεύματος ἁγίου, σῶμα καὶ ψυχὴν καὶ νοῦν, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις χωρὶς ἁμαρτίας, ἀληθινῶς καὶ οὐ δοκήσει ἐσχηκότα, παθόντα, τουτέστι σταυρωθέντα, ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐνδόξως, καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς, ἐρχόμενον ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.

Հաւատամք եւ ի սուրբ Հոգին, ոչ օտար ի Հօրէ եւ յՈրդւոյ, այլ նոյնբնութիւն Հօր եւ Որդւոյ, յանեղն (եւ) ի կատարեալն, (ի բարեխօսն), որ խօսեցաւ յօրէնս եւ ի մարգարէս եւ յաւետարանս, որ էջն ի Յորդանան, քարոզեաց յառաքեալսն) (եւ բնակեցաւ ի սուրբսն:

Հաւատամք յայս մի միայն ընդհանրական եւ առաքելական Եկեղեցի. ի մի մկրտութիւն ապաշխարութեան ի քաւութիւն եւ ի թողութիւն մեղաց. ի յարութիւն մեռելոց. ի դատաստանն յաւիտենից հոգւոց եւ մարմնոց. յարքայութիւն երկնից եւ ի կեանսն յաւիտենականս:

Իսկ որք ասեն՝ էր երբեմն, յորժամ ոչ էր Որդի, կամ էր երբեմն յորժամ ոչ էր սուրբ Հոգին, կամ թէ յոչէից եղեն, կամ յայլմէ էութենէ կամ ի գոյութենէ ասեն լինել զՈրդին Աստուծոյ եւ կամ զսուրբ Հոգին՝ (եւ) թէ փոփոխելի է կամ այլայլելի, զայնպիսին նզովեմք, քանզի նզովէ զնոսա մայր մեր կաթողիկէ եւ առաքելական Եկեղեցի: Եւ նզովեմք զամենեսին՝ որ ոչն խոստովանին զյարութիւն մարմնոյ. եւ զամենայն հերձուած, այս ինքն զայնոսիկ՝ որ ոչն են ի հաւատոց աստի յայսմանէ սրբոյ եւ միայնոյ կաթողիկէ եկեղեցւոյ:

Πιστεύομεν καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ οὐκ ἀλλότριον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἀλλ' ὁμοούσιον ὂν Πατρὶ καὶ Υἱῷ τὸ ἄκτιστον, τὸ τέλειον, τὸ Παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ ἐν προφήταις καὶ ἐν εὐαγγελίοις, καταβὰν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, κηρῦξαν ἀποστόλοις, οἰκοῦν ἐν ἁγίοις.

Πιστεύομεν εἰς μίαν μόνην ταύτην καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας καὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, εἰς κρίσιν αἰώνιον ψυχῶν τε καὶ σωμάτων, εἰς βασιλείαν οὐρανῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον.

Τοὺς δε λέγοντας ὅτι ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱός· ἢ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν τὸ ἅγιον Πνεῦμα· ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, φάσκοντας εἶναι τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἢ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· τούτους ἀναθεματίζομεν, ὅτι αὐτοὺς ἀναθεματίζει ἡ κατολικὴ μήτηρ ἡμῶν καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία· καὶ ἀναθεματίζομεν πάντας τοῦς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν σαρκὸς καὶ πᾶσαν αἵρεσιν, τουτέστι τοὺς μὴ ὄντας ἐκ ταύτης τῆς πίστεως τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας.

3.

Qua aetate, et unde hoc Symbolum acceperint Armenii? Symbolorum Constantinopolitani et Nicaeni apud veteres Armenios usus. Textus armenus Nicaeni puri ex V. aevo.

Quo tempore Symbolum praemissum in Armenia receptum sit?

Non potest comprobari eius usus inter Armenios ante aevum sextum. Lingua armenicae versionis minime pertinet ad illam characteristicam saeculi V., quae remansit etiam vergente illo saeculo. Adde hic, quod in diuturna

serie scriptorum ecclesiasticorum saeculi V. Armeniorum nullum potuerit inveniri vestigium eius Symboli aut aliquod verbum, quod illius proprietas esset. Revera primum illud invenimus in secunda epistola Babgenii Armeniorum Catholici ad Syros, ubi loquitur hunc in modum: „Nunc ut magis pateat verbum confessionis nostrae, uti habeamus eam nos Armenii in Patrem et in Filium et in Spiritum Sanctum, super qua constructa exsurgit et consolidata est Sancta Ecclesia: confitemur Patrem et Filium genitum ex Patre ante saecula, origine carentem, incarnatum ex Sancta Virgine Maria pro salute creaturarum, inscrutabilem ad modum intemeratae nativitatis, matre in virginitate permanente; et in Spriritum Sanctum increatum et perfectum."

Epistola prima Babgenii, in qua nondum mentio praemissae confessionis fit, est scripta „XVIII. anno Cabati regis regum", ut ibi disertis verbis notatur; ergo anno circiter 504 Babgenius nonnisi Symbolum pure Nicaenum cognovit saltem ut praecipuum et commune in Armenia, idemque quasi integrum ibi profert in aurea lingua primi dimidii saeculi V. toto ex genere diversa ab illa Babgenii. Valde probabile habemus in intervallo primae et secundae illarum epistolarum ad Syros innotuisse Catholico Armeniorum nostrum Symbolum et hoc per Syros cum quibus eo tempore tractabat Babgenius. In textu Armenio nihil invenitur, quod demonstret immediatam versionem a Graeco, imo, ut iam observavimus, permutatio vocis substantia (vel essentia *οὐσία*) in vocem natura nos cogit ut eius rationem perquiramus in Syriaco. Syros in ea epoca illud Symbolum in usu habuisse extra aleam dubii positum est. Nunc enim habemus in versione Armenia epistolam (nondum editam) Syrorum ad Nersetem II. Astarakensem secundum Babgenii successorem et ad Nersaporem Episcopum Taurantii et Mamiconensium, in qua aiunt Monophysitae illi incorrupticolae: „Homo factus est perfecte, quum assumpserit ex Virgine carnem veram et animam ac mentem, passus est, crucifixus est pro nobis ut ipse voluit, veraciter, non autem fictione (phantasmate)... quoniam caro, quam de nobis assumpsit, incorruptibilis erat et gloriosa per eius unionem, et cum eadem carne resurrexit sedetque ad dexteram Patris."

Itaque initio saeculi VII. postquam hoc Symbolum in cognitionem venit Armeniorum occasione disputationum, quae agitatae sunt circa doctrinam Incarnationis, paulatim inter ipsos in usum venit et unice invaluit, dum paulo post inserta est in Liturgiam sub epigraphe: Fides Nicaena, adeo, ut prorsus oblivioni purum Nicaenum traderetur, quod iam notavimus in prima paragrapho.

Nonnullis abhinc annis possidemus in lingua armena litteras Procli Archiepiscopi Constantinopolitani et Isaaci Armeniorum Catholici adinvicem datas (anno 435). Nunc aliquis putaverit, se nostram praecedentem conclusionem subvertere demonstrando, usum priorem nostri Symboli inter Armenios ex epistola praelaudati Isaaci († 440[1]) ad Proclum, revera post purum Nicaenum sequuntur fere omnes illae additiones, quae propriae noscuntur nostri Symboli.

Quo posito deberemus indubitanter succumbere talis et tanti monumenti ponderi, cuius genuinitas nullam habet exceptionem, nisi nobis subsidio esset nostra Bibliotheca Viennensis Domus cum duobus codicibus, in quibus conservatur opus quoddam Evagrii Monachi († 399), cuius graecum textum non invenio. — Versionis lingua ea est, quae est propria prioris dimidii V. saeculi, lingua posteris prorsus non imitabilis. Nunc deprehenditur, quod in hac parte suae epistolae Armeniorum laudatus Catholicus nonnisi huius operis Evagrii descriptor est, ita, ut pergat in fine transcribere etiam locum, qui nullam habet connexionem cum argumento sibi proposito.

Compares unum cum altero.

Evagris.

Bibl. Mechith. Vien. Codd. 33 et D. 12.

Fides statuta Nicaeae.

„Credimus in unum Deum (Patrem) omnipotentem, factorem coeli et terrae, invisibilium et visibilium creaturarum et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, hoc est ex substantia Patris, per quem omnia facta sunt; Deum de Deo, lumen de lumine genitum non factum, consubstantialem Patri, qui propter nos homines descendit atque carne indutus est, passus est, tertia die resurrexit, ascendit in coelum et reveniet judicare vivos et mortuos.

Isaacus

in sua ep. ad Procl.

„Nos autem credimus in unum Deum Patrem, factorem coeli et terrae visibilium invisibiliumque creaturarum; et in unum Dominum Jesum Christum unigenitum Filium Jesum; hoc est de substantia substantialiter genitum, per quem omnia facta sunt; Deum de Deo, lumen de lumine, genitum non factum, consubstantialem Patri, qui propter nostrum genus humanum descendit et incarnatus est, sustinuit passionem, resurrexit post tres dies et ascendit in coelum et veniet judicare vivos et mortuos.

---

[1] Illum hoc anno diem supremum obiisse certissimum habetur ab aequali eius Corinno Episcopo Sunensi in Vita istius magistri Mesropii.

Et in Spiritum Sanctum **viventem** (forsan pro: vivificantem, *τὸ ζωοποιόν*).

Qui vero dicunt quod erat **aliquando**, cum non esset (Filius) et **priusquam** natus esset, non erat et **de nihilo exstitit** vel ab altera quadam **substantia** sive hypostasi, vel mutabilem vel corruptibilem esse, eos **anathematizamus**.

Et **haeresin quoque Sabelii** (sc. anathematizamus) qui **dixerit, eundem esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum**. **Sed Patrem** cognoscimus **Patrem**, et **Filium**, **Filium**, et **Spiritum Sanctum**, **Spiritum**, unum regnum, unam **substantiam**, unam divinitatem.

Item anathemate **damnamus Photini** fidem, qui dixerit ex Maria **genitum Jesum** et quod **erat** aliquando, **cum non esset** Filius; quoniam semper **Pater**, **semper** et **Filius**, **semper** et **Spiritus** divinus, Spiritus sanctus, **perfectus**, **paracletus**, increatus, **erat ille ipse**, **qui locutus** est in lege et in prophetis et in apostolis et descendit in **Jordanem**.

Quod **autem** attinet ad **inhumanatam** incarnatam divinitatem Filii, sic credimus, quod indutus est **hominem** perfectum ex deipara Maria per Spiritum **Sanctum** carnem et animam vere et non ficte (specie tenus); ea enim de **causa venit**, ut perfecte **salvaret hominem** et **veraciter** passus est ac **sepultus est et tertia** die **resurrexit** et in coelum **ascendit et** consedit ad dexteram Patris **et venturus** est judicare vivos et mortuos.

Item anathematizamus **Arium** et omnem haeresin eorum, **qui creaturam** dicunt Filium Dei.

Pro fidei **autem** plenitudine, **credimus** in unum baptisma **poenitentiae**, **in** unam ecclesiam, **in resurrectionem carnis**, in **regnum** coelorum **et** in **judicium** aeternum.

De Deo autem, **profitemur** in **Patrem** et in Filium et in **Spiritum Sanctum**, **unam** divinitatem sanctae **Trinitatis**. **Spiritus** enim Deus **est**, **sed ex sua** voluntate **apparuit**, **locutus** est **cum justis** suis, **cum** Adamo **et cum Noë**, **cum** Abramo . . . **et** cum sanctis **omnibus**.

Quod tamen dicunt **Scripturae**: **oculos** Domini sive **aures** vel **aliud huiusmodi**; **non** in **veritatem** credimus, **quae** incomprehensibilis **et inintelligibilis est**; **omnem** nempe **hominem in suae imaginis** similitudinem creavisse: **sed quid haec** (imago), id Domino **sciendum** relinquamus."

Qui vero dicunt, quod erat quondam, quod non esset (Filius) et de nihilo factus est, et ab altera quadam substantia, vel corruptibilem et mutabilem (eum esse), eos anathematizamus.

Quoniam semper Pater, semper Filius, semper Sanctus Spiritus, Spiritus Dei, Spiritus Sanctus, perfectus, paracletus, increatus, incorruptibilis, qui locutus est in lege et prophetis atque apostolis, quique descendit in Jordanem.

Et quod attinet ad inhumanationem (incarnationem) Filii, ita credimus, quod voluit fieri homo perfectus per Spiritum Sanctum, assumendo animam et corpus, vere passus est, non quod ipse quidem passioni obnoxius esset, sed pro nobis tulit passionem, crucifixus est et sepultus est et tertia die resurrexit atque conscendit coelum et ad dexteram Patris consedit et venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad plenitudinem autem fidei, credimus in unum baptisma poenitentiae et in unam catholicam ecclesiam et in resurrectionem mortuorum et in regnum coelorum et in judicia aeterna.

Et Deum profitemur Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unam divinitatem sanctae Trinitatis; Spiritus enim est Deus et ex voluntate apparens locutus est in lege et prophetis et apostolis.

Credimus veritatem inintelligibilem et incomprehensibilem; quod nempe omnis homo secundum imaginem Dei factus est, quomodo autem hoc, Dei scire est."

Nil igitur clarius Isaacum aut eius secretarium nil aliud fecisse in praeposito loco nisi abbreviare praecitata Evagrii verba una cum loco spectante Anthropomorphismum, de quo, aevo Evagrii, ardebat magno aestu disputatio inter Monachos.

Si igitur huius Symboli usus inter Armenios non antecessit saeculum VI., adhibuerintne Armenii superioribus saeculis Symbolum, quod appellatur Constantinopolitanum?

Libere asseri posse putamus nunquam in Armenia usum solemnem obtinuisse hoc Symbolum et ne nunc quidem habemus ex antiquis versionem eius armeniacam.

Quod si Magister Messer illud affert in sua dissertatione, non hoc procedit nisi juxta versionem P. P. Mechitharistarum. Vix ex vestigiis concluditur, illud cognovisse nostros in controversiis VI. saeculi, quibus agitata est Armenia. Babgenius primus videtur illud habuisse saltem tempore eius secundae epistolae, ubi notanda sunt haec verba: „Confitemur Patrem et Filium genitum ex Patre ante saecula.“ Moyses Calcantuensis historiographus armeniacus saeculi VII. nobis conservavit epistolam Joannis II. Armeniorum Catholici et Abrahami Episcopi Taurantii ad Abasum Albanorum Catholicum primo a dimidio saeculi VI., quae extra omne dubium ponit existentiam huius Symboli inter Armenios, dum ibi ita legitur: „Profitemer in unum Deum Patrem omnipotentem factorem omnium et in unum Deum Jesum Christum Filium Dei genitum ex Patre, Deum verum de Deo vero, per quem omnia. Et in Sanctum Spiritum procedentem ex Patre, cum Patre et cum Filio adoratum et glorificatum.“

In quo citato loco impressa invenitur nota aetatis, in qua Symboli illius versio facta est. Non modo non habetur in eo character distinctivus linguae armeniacae V. aevo propriae, sed etiam in iis duabus vel tribus dumtaxat lineis voces: *արարող* — *ելող* — *երկրպագեալ* luculenter patefaciunt recentioritatem versionis, quoniam juxta stylum superioris aetatis deberent potius sic exprimi: *արարիչ* — *որ (ի Հօրէ) ելանէ* — *երկրպագութիւն առեալ:*

Ex narratis a Moyse-Corenense (libr. III. cap. 33) et juxta universalem nostrorum omnium consuetudinem, quos incaute secuti sunt etiam plurimi extranei, ut permultis in

rebus saepe fieri videmus, creditur S. Nersetem I. Armeniorum Catholicum adfuisse Concilio Constantinopolitano anno 381, et inde illud Symbolum tulisse in Armeniam ita, ut deinde efformaretur symbolum Ecclesiae Armeniacae sic dictum commixtione Nicaeni et Constantinopolitani, quod prorsus fabulosum putandum est. Jam enim alibi (Histor. Univ. Tom. II. pag. 511.) demonstravimus in hac re esse praeferendum alium nostrum historicum, Faustum Byzantinum. Sanctus Nerses septem circiter annis ante illud concilium a Papa (aut Para, juxta Ammianum Marcellinum) occisus est, Armenorum rege Arsacide, cui anno 374 jussu Valentis Imperatoris in Armenia in epulando mortem intulit comes Traianus. [1])

Symbolum vero Constantinopolitanum in Armenia non in tanto usu habitum esse, quanto particeps factum est in toto Oriente, facile intelligitur ex historia ecclesiastica eius terrae; erat enim hoc consequentia seiunctionis ecclesiasticae a Graecis. — Inter omnes fere constat post III. et IV. concilium oecumenicum symbola singulis ecclesiis propria per totum Orientem cessasse, illuminandisque nonnisi Nicaenum aut Constantinopolitanum propositum esse. In variis locis, ut Hierosolymis, proprium Symbolum primo Nicaeno cessit, deinde Nicaenum Constantinopolitano, praecipue ex quo per Henoticum Zenonis imperatoris constitutum erat hoc tantum esse usurpandum. Item Justinus imperator anno circiter 566 idem jussit, quum Monophysitae Symbolum Patrum Nicaenorum praeferre viderentur.

Si igitur nec hodie a nobis usurpatum, neque Constantinopolitanum id est, quod IV. et V. saeculo in usu Patrum nostrorum versabatur, est profecto Nicaenum. Est enim vetus, certe V. saeculo proprius textus, quem nobis conservavit Babgenius in sua prima epistola, in qua lingua prorsus diversa a corrupto armeniaco idiomate Babgenii ita se habet, ut homo albus caucasiae gentis inter Aethiopes.

Hic sequitur ille textus armenus cum textu graeco, qualis apud S. Athanasium (De Decret. Syn. Nic.) ex

---

[1]) Amm. Marcell. Libr. XXX. cap. I.

Eusebio Caesariensi prolatus est. Discrepantiae inter Armeniacum et proprie Nicaenum, quae peculiari scriptura discernimus non negligendae sunt.

Հաւատամք ի մի Աստուած Հայր ամենակալ, ամենեցուն երեւելեաց եւ աներեւութից արարիչ; եւ ի մի Տէր Յիսուս Քրիստոս յՈրդին Աստուծոյ, ծնեալ ի Հօրէ Միածին, այս ինքն ի գոյութենէ Հօր, Աստուած յԱստուծոյ, լոյս ի լուսոյ, Աստուած ճշմարիտ յԱստուծոյ ճշմարտէ ծնեալ եւ ոչ արարեալ, նոյնէութիւն Հօր, որով ամենայն ինչ եղեւ յերկինս եւ յերկրի. որ վասն մեր մարդկան եւ վասն մերոյ փրկութեան էջ եւ մարմնացաւ ի սրբոյ Կուսէն Մարիամայ, (incarnatus est ex Maria Sancta Virgine) *չարչարեցաւ վասն մեղաց մերոց, մեռաւ* (passus est pro nostris peccatis, mortuus est) *եւ յերրորդ աւուր յարեաւ, ել յերկինս, նստաւ ընդ աջմէ Հօր, գալ դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս: (Եւ ի սուրբ Հոգին:)*

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα (deest Arm.) *παθόντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς, καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. . . .*

Եւ վասն այնոցիկ՝ ոյք ասեն, էր երբեմն՝ զի չէր, եւ մինչ չեւ ծնեալ էր՝ չէր, եւ զի յոչընչէ եղեւ եւ կամ յայլմէ էութենէ կամ ի գոյութենէ համարին թէ իցէ, կամ փոփոխելի կամ անցանելի զՈրդին Աստուծոյ, զնոսա նզովէ կաթողիկէ եւ առաքելական եկեղեցի:

Τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε ὅτι οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐκ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν (deest Arm.) *ἢ τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.*

Quae affert Armeniorum Catholicus, quem supra commemoravimus, ante et post productum hoc Symbolum, firmissime demonstrant, id certe apud Armenios usque ad finem V. saeculi praevalens Symbolum fuisse. „Oportet, ait, et nos expositionem illam sanctae fidei, quam beati Patres 318 Nicaeae congregati constituerunt, acceptantes, modeste et inconcusse evangelizare. Inter eos patres erat ex divina gratia in eodem concilio beatus Aristaces et exceptam omnino veram fidem a patribus sanctis integram in nostram teram tulit. Quam acceperunt ab eo nos Armenii et illa sumus illuminati.

Itaque credimus in unum Deum etc." Postea pergit: „Sic credimus, uti etiam baptizati sumus et Sancti Patres sanxerunt et alia definitio extra istum canonem non est nec acceptavimus nec acceptamus."

4.

Nostrum Symbolum aliis duobus Concilio Constantinopolitano I. antiquioribus affine et cohaersis. Symbolum Hierosolymitanum.

Symboli, de quo agimus, magna antiquitas ultro manifesta est superiori paragrapho ex eius usu in Armenia et extra eam. Nunc autem de eius nexu cum caeteris antiquis fidei symbolis agendum.

Quam longe distant ideae Orientis recentioris ad ideas antiqui! Graeca Photii ecclesia aggressa est S. Romanam Ecclesiam oppugnando legitimitatem vel unicae particulae Symbolo accessae, dum superioribus saeculis formarum stabilitas magis in Occidente minus ab haeresibus perturbato conspicitur, quam in Orientis plagis. Revera quidem, omissis formulis ante-nicaenis, quot variationes aut amplificationes ipsius Nicaeni Symboli, haud tamen denominatione mutata! — Nimis tenuem se habere demonstrant Graeculi propriae ecclesiasticae traditionis scientiam, dum Synodis Oecumenicis fere exclusive opus adscribant constitutionis Symbolorum. Revera autem patet Symbolum Nicaenum non ex integro compositum esse a Concilio eiusdem nominis; etenim nihil aliud Synodus illa operata est quam addere illud: hoc est ex substantia Patris et consubstantialem Patri et alia perpauca, reliquum enim (excepto anathematismo) praeexistebat concilio. Adeo erat amplificatum simplex symbolum apostolicum in Orientis ecclesiis initio saeculi IV.

Concilium vero Constantinopolitanum ne additionum quidem est auctor relate ad Symbolum eiusdem nominis, quoniam illud Concilium nil aliud in hac re agebat, quam solemni modo profiteri Symbolum quoddam aut amplificationem aliquam Nicaeni Symboli, sicuti jam vigebat in diversis Orientis ecclesiis, illud tale adoptando ne ulla quidem syllaba ei addita; imo aliquo omisso, i. e. anathematismo, qui erat in eius fine sicuti mox videbimus. Quamvis ergo Graeci medii aevi asserant auctorem Con-

stantinopolitani Symboli fuisse S. Gregorium Nyssenum (Niceph. Callixt. Hist. eccl. libr. XII. cap. 13.) aut S. Gregorium Nazianzenum (juxta Marcum Eugenicum episcopum Ephesinum) et etiam inter doctos vix aliquis suspicetur non per ipsum Concilium hoc symbolum confectum esse — nam et in novissimis annis ex. gr. Döllinger, Koessing, Schrödl etc. exhibent sicuti rem apud omnes indubiam Patres Concilii Constantinopolitani illud composuisse, — attamen non dubitare amplius permissum esset hoc ante illud Concilium extitisse.[1]) Illud, quod hodie Constantinopolitanum nuncupatur et sub hoc nomine adoptatum est etiam in Occidente post publicationem Codicis canonum Dionysii Exigui, antiquitus tum ante cum post Constantinopolitanum Concilium nonnisi Nicaenum vocabatur. Sub hoc nomine Divus Epiphanius illud affert jam anno 374, quamvis praedictum Concilium septem annis post habitum sit (Epiph. Ancor. cap. 121.). Ideo mirandum non est, si S. Gregorius Nazianzenus, qui praesidebat illi concilio, eo absoluto, cum scriberet ad Cledonium (Epist. 102) de regula fidei, non aliud dat nomen Symbolo, quam Nicaeni.

In spatio ergo temporis dimidii saeculi (scil. ab anno 325—374), dum ex una parte Ariani et Semiariani luxuriantur in Conficiendis Symbolis, ex altera parte Catholici amplificabant Nicaenum. Ea mensura, qua haeresis evolvebatur, educens fere omnes errorum phases praecipuas circa Trinitatis et Incarnationis doctrinam, orientis ecclesiae adversus illos errores sua symbola adaucta opposuerunt. Postquam reiecta est in Concilio Nicaeno blasphema doctrina contra divinitatem verbi aeterni, sibi ipsis invicem successerunt, multo ante annum 381, tria errorum stadia, 1um contra divinitatem Spiritus Sancti, qui praedicabatur creatura; 2um contra integritatem humanae naturae in Christo, quum Apollinarius recusaverit ei mentem et animam rationalem; 3^{tium} omnino praecedenti oppositum non solum ei tribuebat animam humanam rationalem sed etiam personam humanam eum in duas dividendo personas. Praecise enim illis tribus phasibus haec tria respondent Symbola:

---

1) Si Dr. Hefele (Hist. Conc. Tom. II. pag. 10) adhuc de Symboli praeexistentia dubium affert hoc jure facit, quia errore visûs duorum Symbolorum, quae sunt apud Epiphanium, unum cum altero confundit, scil. secundum pro primo legit, itaque de re judicat.

I.

Asseritur Spiritus Sancti divinitas contra Pneumatomachos.

Symb, apud S. Epiphan. Ancor. cap. 120, quod serius vocatum est Constantinopolitanum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, hoc est ex Patris substantia, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terra; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non est finis.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ τε καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων· τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, φῶς ἐκ φωτός, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κατὰ τὰς γραφάς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.

II.

Asseritur 1. Divinitas
tas et integritas humanae
Apolli-

**Symb. in usu apud Sy-
supra pag. 20 adhibitum
annum**

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem (coeli et terrae) visibilium (omnium) invisibiliumque, et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum a Deo Patre (al. ex Patre) Unigenitum, hoc est, a substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam quae in coelo, quam quae super terram, visibilia et invisibilia; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, hoc est: genitus est perfecte ex Maria semper Virgine per Spiritum Sanctum, assumens carnem et animam ac mentem, et omnia quae sunt in hominibus (vel omne id quod adest homini aut est homo), excepto peccato, vere et non phantasmate; passus est: crucifixus est, sepultus est et resurrexit tertia die et ascendit in coelos cum eadem carne gloriose, consedit ad dexteram Patris, venturus est eadem cum carne cum gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non est finis.

II.

Spiritus Sancti. 2. Veri- naturae in J. C. contra naristas.

ros et Armenios. Vide etiam ad Evagrio ante 399.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητὴν, καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ. δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου διὰ Πνεύματος ἁγίου, σῶμα καὶ ψυχὴν καὶ νοῦν καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις χωρὶς ἁμαρτίας ἀληθινῶς καὶ οὐ δοκήσει ἐσχηκότα, παθόντα, τουτέστι σταυρωθέντα, ταφέντα καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς οὐρανοὺς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐνδόξως· καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς, ἐρχόμενον ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.

III.

Asseritur 1. Divinitas Spiritus Sancti. 2. Integritas humanae naturae in J. C. 3. Unitas eius personae praecipue contra errorem in Orientis provincia grassantem.

Symb. apud Epiphan, l. c. cap. 121.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium invisibilium visibiliumque factorem, et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum a Deo Patre Unigenitum, hoc est a substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam quae in coelis, quam quae in terra, visibilia et invisibilia; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit et incarnatus est, hoc est, ex Maria semper Virgine de Spiritu Sancto perfecte genitus et homo factus est, id est: perfectum assumpsit hominem, animam, corpus, mentem et quidquid aliud homo est, excepto peccato, non e virili satu, nec ita ut in homine dumtaxat inesset; sed in se ipsum effictam illam carnem transtulit, et in unam ac sanctam singularitatem conjunxit. Non ad eum modum, quo prophetis aspiravit et in illis locutus est effecitque quidpiam, sed homo perfectus esse voluit: Verbum quippe caro factum est; neque aut mutationem ullam est expertum, aut divinitatem suam in naturam convertit hominis, sed in unam sanctam perfectionem divinitatemque copulavit. Unus est enim Dominus Jesus Christus, non duo. Idem Deus, idem Dominus, idemque rex; qui passus est in carne et resurrexit, et coelum cum eadem car-

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν Πατέρα παντοκράτορα, πάντων ἀοράτων τε καὶ ὁρατῶν ποιητὴν, καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, μονογενῆ· τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς. Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα. Τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα· τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου διὰ Πνεύματος ἁγίου, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα, ψυχὴν καὶ σῶμα καὶ νοῦν καὶ πάντα, εἴ τι ἐστὶν ἄνθρωπος, χωρὶς ἁμαρτίας, οὐκ ἀπὸ σπέρματος ἀνδρὸς, οὐδὲ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ' εἰς ἑαυτὸν σάρκα ἀναπλάσαντα, εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα· οὐ καθάπερ ἐν προφήταις ἐνέπνευσέ τε καὶ ἐλάλησε καὶ ἐνήργησεν, ἀλλὰ τελείως ἐνανθρωπήσαντα. Ὁ γὰρ Λόγος σάρξ ἐγένετο, οὐ τροπὴν ὑποστὰς, οὐδὲ μεταβαλὼν τὴν ἑαυτοῦ θεότητα εἰς ἀνθρωπότητα· εἰς μίαν συνενώσαντα ἑαυτοῦ ἁγίαν τελεώτητά τε, καὶ Θεότητα. Εἷς γάρ ἐστιν Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς καὶ οὐ δύο, ὁ αὐτὸς Θεὸς, ὁ αὐτὸς Κύριος, ὁ αὐτός βασιλεύς. Παθόντα δὲ τὸν αὐτὸν ἐν σαρκὶ, καὶ ἀναστάντα καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐνδόξως καθίσαντα ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς, ἐρχόμενον

I.

Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas.

Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, Κύριον καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸν σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συνπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν.

Et in unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum, et expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri saeculi.

Εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν. Ὁμολογοῦμεν ἕν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· προσδοκῶμεν ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν.

Eos vero qui dicunt: fuit aliquando, cum non esset, et antequam gigneretur, non erat, sive ex nihilo factus est, vel ex altera hypostasi sive substantia; quique Dei Filium fluentem ac mutabilem esse asseverant, hos omnes anathematizat catholica et apostolica ecclesia.[1]

Τοὺς δὲ λέγοντας ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, φάσκοντας εἶναι ῥευστὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν τοῦ Θεοῦ Υἱὸν, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

II.

Credimus et in Spiritum Sanctum, non alienum a Patre Filioque, sed consubstantialem Patri et Filio, increatum, perfectum Paracletum, qui locutus est in lege et in prophetis et in evangeliis, descendit in Jordanem apostolis (*vel* in apostolis, et) habitavit in sanctis.

Credimus in unam solam hanc catholicam et apostolicam Ecclesiam, in unum baptisma poenitentiae et remissionis peccatorum, in resurectionem mortuorum, in iudicium aeternum animarum et corporum, in regnum coelorum et in vitam aeternam.

Eos vero qui dicunt quod fuit aliquando, cum non esset Filius, aut fuit aliquando, cum non esset Spiritus Sanctus, aut quod ex non entibus facti sunt, vel ex altera hypostasi aut substantia, quique conversibilem aut mutabilem esse dicunt, (Filium Dei aut Sanctum Spiritum) hos anathematizat catholica mater nostra et apostolica ecclesia.

Et anathematizamus omnes, qui minime confitentur carnis resurrectionem, et omnem haeresin, hoc est, eos qui non sunt ex hac fide sanctae soliusque catholicae ecclesiae.

---

[1] Notatu digna sunt quae S. Epiphan. huic formulae subjungit: „Haec eadem fides a sanctis apostolis tradita et in ecclesia in sancta urbe ab omnibus sanctis episcopis, qui plus trecentis decem fuerunt, praescripta est.“

II.

Πιστεύομεν καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ οὐκ ἀλλότριον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἀλλ' ὁμοούσιον ὂν Πατρὶ καὶ Υἱῷ, τὸ ἄκτιστον, τὸ τέλειον, τὸ Παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ ἐν προφήταις καὶ ἐν εὐαγγελίοις, καταβὰν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, κηρῦξαν ἀποστόλοις, οἰκοῦν ἐν ἁγίοις.

Πιστεύομεν εἰς μόνην ταύτην καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας καὶ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν· εἰς κρίσιν αἰώνιον ψυχῶν τε καὶ σωμάτων· εἰς βασιλείαν οὐρανῶν καὶ ζωὴν αἰώνιον.

Τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς, ἢ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, φάσκοντας εἶναι τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν Θεοῦ ἢ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, αὐτοὺς ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ μήτηρ ἡμῶν καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία

Καὶ ἀναθεματίζομεν πάντας τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν σαρκὸς καὶ πᾶσαν αἵρεσιν, τουτέστι τοὺς μὴ ὄντας ἐκ ταύτης τῆς πίστεως τῆς ἁγίας καὶ μόνης καθολικῆς ἐκκλησίας.

ne conscendit, et ad dexteram Patris gloriose consedit, et cum eadem carne venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis.

Credimus et in Spiritum Sanctum, qui locutus est in lege et in prophetis praedicavit, ad Jordanem descendit, in apostolis locutus est et in sanctis habitat. Ita porro nos in ipsum credimus, Spiritum esse Sanctum Dei Spiritum, Spiritum perfectum, Spiritum Paracletum, increatum, a Patre procedentem, accipientem a Filio, in quem credimus.

Praeterea credimus in unam catholicam et apostolicam ecclesiam et in unum baptismum poenitentiae, et in resurrectionem mortuorum, ac justum animarum corporumque judicium, et in regnum coelorum ac vitam aeternam.

Eos vero, qui dicunt fuisse aliquando, cum non esset Filius aut Spiritus Sanctus, aut ex non entibus eos fuisse, vel ex altera hypostasi aut substantia; quique conversibilem aut mutabilem esse dicunt Dei Filium aut Spiritum Sanctum, hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia, mater vestra et nostra.

Et rursus condemnamus eos, qui minime confitentur resurrectionem mortuorum, et omnes haereses, quae non sunt juxta hanc rectam fidem. [1]

III.

ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.

Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα πιστεύομεν τὸ λαλῆσαν ἐν νόμῳ καὶ κηρύξαν ἐν τοῖς προφήταις, καὶ καταβὰν ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, λαλοῦν ἐν ἀποστόλοις, οἰκοῦν ἐν ἁγίοις. Οὕτως δὲ πιστεύομεν ἐν αὐτῷ ὅτι ἐστὶ Πνεῦμα ἅγιον, Πνεῦμα Θεοῦ, Πνεῦμα τέλειον, Πνεῦμα Παράκλητον, ἄκτιστον, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβανόμενον (aliud ex. λαμβάνοντα) καὶ πιστευόμενον.

Πιστεύομεν εἰς μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας· καὶ εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν· καὶ κρίσιν δικαίαν ψυχῶν καὶ σωμάτων· καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν· καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.

Τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἢ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας, φάσκοντας εἶναι τρεπτὸν ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἢ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, ἡ μήτηρ ὑμῶν τε ἡμῶν.

Καὶ πάλιν ἀναθεματίζομεν τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ πάσας τὰς αἱρέσεις τὰς μὴ ἐκ ταύτης τῆς ὀρθῆς πίστεως οὔσας.

[1] Huic tertiae S. Epiph. l. c. sequentia praemittit: „Quoniam aetate nostra aliae post alias haereses emerserunt, ad hoc usque tempus, sub Valentiniani et Valentis imperio, quorum decimus jam annus agitur (an. 374), et Gratiani sextus, a Diocletiano vero tyranno nonagesimus, propterea tam vos, quam nos ipsi et orthodoxi omnes episcopi, denique tota ecclesia catholica adversus prodeuntes identidem haereses, consentaneaque cum exposita paulo ante sanctorum Patrum fidei formula (Prm), iis praesertim, qui baptismo initiandi sunt, praecepit ut hoc modo profiteantur ac dicant “

Symbolum denique Hierosolymitanum apud S. Cyrillum in suis Catechesibus, quas anno 347 vel 348 presbyterum ergo 33 annis ante Concilium Constantinopolitanum I. pronunciasse constat, consonat plerumque primae, aliquando etiam secundae formulae. P. Toutée illud ex variis Cyrillianarum Catecheseon locis collectum exhibet:

Sancta et apostolica fides, profitenda illuminandis tradita. (Ex Cat. XVIII. n. 32.)	*Ἡ ἁγία καὶ ἀποστολικὴ πίστις, εἰς ἐπαγγελίαν τοῖς φωτιζομένοις παραδοθεῖσα.*	*ԿԻՒՐՂԻ ԵՐՈՒՍԱՂԷՄԱՑԻՈՑ Կոչումն ընծայութեան. տպ. Վիէննա, 1832:*
—	—	—
Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibiliumque omnium et invisibilium.	*Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεόν, Πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων.*	*Հաւատամք ի մի Աստուած Հայր ամենակալ արարիչ երկնի եւ երկրի, երեւելեաց ամենայնի եւ աներեւութից:*
Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum; qui ex Patre genitus est, Deus verus, ante omnia saecula; per quem omnia facta sunt; qui incarnatus est (ex Virgine et Spiritu Sancto); crucifixus et sepultus, resurrexit tertia die, et ascendit in coelos, et consedit a dextris Patris; et venturus est in gloria judicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis.	*Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ· τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα, Θεὸν ἀληθινὸν πρὸ πάντων αἰώνων· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα (ἐκ παρθένου καὶ Πνεύματος ἁγίου)· σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς καὶ ἐρχόμενον ἐν δόξῃ, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος.*	*Եւ ի մի տէր Յիսուս Քրիստոս, յՈրդին Աստուծոյ միածին, որ ի Հօրէ ծնեալ. Աստուած ճշմարիտ յառաջ քան զամենայն յաւիտեանս, որով ամենայն ինչ եղեւ. մարմնացեալ, մարդացեալ (ի կուսէն եւ ի Հոգւոյն սրբոյ). խաչեալ եւ թաղեալ, յարուցեալ յերիր աւուր եւ ելեալ յերկինս եւ նստեալ ընդ աջմէ Հօր. եւ գալ փառօք՝ դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս. որոյ թագաւորութեանն ոչ եղիցի վախճան:*
Et in unum Sanctum Spiritum, Paracletum: qui locutus est in prophetis.	*Καὶ εἰς ἓν ἅγιον Πνεῦμα, τὸ Παράκλητον, τὸ λαλῆσαν ἐν τοῖς προφήταις.*	*Եւ ի սուրբ Հոգի, մխիթարիչ, որ խօսեցաւ ի մարգարէսն:*
Et in unum baptisma poenitentiae in remissionem peccatorum.	*Καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.*	*Եւ ի մի մկրտութիւն ապաշխարութեան ի թողութիւն մեղաց:*
Et in unam, sanctam, catholicam ecclesiam, et in carnis resurrectionem et in vitam aeternam.	*Καὶ εἰς μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον.*	*Եւ ի մի, սուրբ, կաթողիկէ եկեղեցի եւ ի յարութիւն մարմնոյ եւ ի կեանսն յաւիտենական:*

5.

Nostri Symboli auctor. Altera S. Athanasii Fidei expositio nunc primum ex Codd. Armenicis edita.

Ex praemissis manifestum est nostrum Symbolum in se ipso continere plus minus indicationem temporis, quo confectum esse potest; nunc autem aliquis quaerere potuerit, quisnam sit eius auctor?

Textus graecus, qui prima vice 20 fere ab annis in lucem editus est inter S. Athanasii opera in Londinensi editione (Tom. I. Parte 2. pag. 1274) ex duobus Codd., Vat. 1431, et Reg. 2502, quique iterum publicatus est ab Illustrissimo Migne in Cursu Patrologiae Graecae (Tom. II. Opp. S. Athan. col. 1230), habet pro epigraphe ambobus in Codicibus: „Athanasii Archiepiscopi Alexandriae enarratio in Symbolum."

Doctus et benemeritus Patrologiarum editor tueri studet fidem huius epigraphes sequentibus argumentis: 1. quia haec fidei professio conformatur alteri professioni ab Athanasio Joviniano Imperatori scriptae; 2. Abbé Migne Tom. IV. Opp. Athan. col. 1638, aliam affert professionem Athanasio adscriptam, quam ei conformem putat, de qua nunc agitur; 3. quod errores, qui in ista professione oppugnantur, pertinent unice ad Divi Athanasii epocham; 4. Usus quoque vocis: hypostasis in sensu substantiae aut naturae debet nos movere, ut eam Athanasio adscribamus, quia in subiuncto anathematismo damnantur qui Filium aut Spiritum Sanctum alterius a Patre hypostaseos esse asserunt, qui loquendi modus post Athanasii aevum minime usurpabatur; 5. Ea professio hoc magno viro non est indigna; denique in utroque Codice ei ipsi tribuitur.

Momenta primo, secundo quartoque loco posita non videntur nobis esse satis solida. In illa professione ad Jovinianum directa, et in symbolo, quod exstat in supradicto IV. tomo Operum Athanasii ne una quidem videtur earum locutionum aut terminorum, qui proprii sunt et nostro Symbolo omnino peculiares. Porro neque ex usu vocis hypostaseos cum οὐσία coniunctae potest aliquid concludi, quoniam illae voces simul cum anathematismo, in quo usurpantur, ipsius Symboli Nicaeni partem efficiunt; nostrum enim in hac parte, praeter Spiritus Sancti nomen, nihil ei addit.

Caetera vero momenta, quae a cl. Editore proferuntur, nobis satis superque illam fidei professionem non modo Athanasii ad aevum referri suadent, de quo nullum posset esse dubium, verum etiam opus esse ipsius Divi Athanasii. Namque hoc Symbolum aut fidei professio est revera, uti ex epigraphe habetur, expositio Symboli, et posset jure judicari summarium aut succus scriptorum huius magni viri, praesertim eius quatuor epistolarum ad Serapionem datarum ex deserto in quo tunc degebat (an. 358) contra Tropicos, id est, illos qui veram Filii divinitatem admittentes, Spiritus Sancti divinitatem infitiabantur et Filii creaturam esse asserebant, et dein duorum librorum contra Apollinaristas, in quibus eos etiam oppugnat, qui „Dominum per fictionem, non natura gestasse corpus“ docebant; demum Epistolae ad Adelphium.

Constat insuper in moribus esse Divi Athanasii contexere passim sua verba textui Symboli Nicaeni. Codices armeniaci aliud novum fere huius generis servaverunt monumentum. Jam supra observatum est, mediam trium formularum professionis fidei, nostrum videlicet Symbolum, quod opus Athanasii esse affirmamus, nihildum continere adversus errorem duarum in Christo personarum. Certe hoc argumentum, occasione serius oblata, magnum Alexandrinum Archiepiscopum permovit, ut separatim contra illum errorem aliquam conficeret fidei professionem Symboli formae adaptatam, quae est sequens, cum huiusmodi epigraphe procul dubio pariter a graeco derivante.

Versio ex graeco armena
(certe nec ante saec. VII. neque post VIII. facta.)

Երանելւոյն Աթանասի Եպիսկոպոսապետին Աղեքսանդրիոյ Արտայայտութիւն յաղագս աստուածային մարմնաւորութեան բանին ձայնակցելով սրբոյ ժողովոյն ի Նիկիա:

Խոստովանիմք զՈրդին Աստուծոյ նախ քան զյաւիտեանս մշտնջենաբար ծնեալ ի Հօրէ, իսկ առ վերջինովք յաւիտենիւքս վասն մերոյ փրկութեան ի Մարիամայ ծնեալ ըստ մարմնոյ որպէս աստուածազան Առաքեալն ուսուցանէ ասելով. "Իսկ յորժամ եկն լրումն ժամանակի, արտաքս առաքեաց Աստուած

Versio ex armeno.

Beati Athanasii Archiepiscopi Alexandriae expositio de divina incarnatione Verbi, cum Sancto Concilio Nicaeno consona.

Confitemur Filium Dei ante saecula sempiterne genitum ex Patre, in novissimis vero saeculis propter nostram salutem ex Maria natum secundum carnem, ut divinus docet Apostolus dicens: „Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere“; eundem esse Deum et Filium Dei secun-

զՈրդին իւր եղեալ ի կնոջէ„. եւ զոյ զնոյն Աստուած եւ Որդի Աստուծոյ ըստ Հոգւոյ իսկ Որդի մարդոյ ըստ մարմնոյ. ոչ երկուս բնութիւնս՝ զմին երկրպագելի եւ զմին աներկրպագեալ հանդերձ մարմնացեալ եւ երկրպագեալ հանդերձ մարմնով իւրով միով երկրպագութեամբ:

Այլ եւ ոչ երկուս Որդիս՝ այլ ոմն Որդի Աստուծոյ ճշմարիտ եւ երկրպագեալ, իսկ այլ ոմն ի Մարիամայ մարդ ոչ երկրպագեալ, որպէս եւ մարդիկ. այլ զի յԱստուծոյն եւ Աստուած, որպէս ասացի մի Որդի Աստուծոյ եւ Աստուած զնոյն եւ ոչ զայլս (գուցէ՝ զայլն), եւ ի Մարիամայ ծնեալ ըստ մարմնոյ առ վերջնովք աւուրբքս, որպէս հրեշտակն Աստուածածնին Մարիամայ յասելն՝ “Ո՞րպ եղիցի ինձ այս, զի զայր ոչ գիտեմ„ ասէր. “Հոգին սուրբ եկեսցէ առ քեզ եւ կարողութիւն Բարձրելոյն հովանասցի քեզ. վասն զի ծնեալն Սուրբ կոչեսցի եւ Որդի Աստուծոյ„:

“Ծնեալն սուրբ կոչեսցի եւ Որդի Աստուծոյ այսունհետեւ ի Կուսէն Մարիամայ՝ Որդի Աստուծոյ բնութեամբ եւ Աստուած ճշմարիտ եւ ոչ շնորհիւ եւ կցորդութեամբ, ըստ մարմնոյ միայն ի Մարիամայ մարդ, իսկ ըստ հոգւոյն՝ ինքն Որդի Աստուծոյ եւ Աստուած. կրեալ զմեր կիրս՝ որպէս գրեալ է. “Քրիստոսի կրեցելոյ վասն մեր մարմնով„. եւ դարձեալ՝ “Որ իւր Որդւոյն ոչ խնայեաց, այլ վասն մեր ամենեցուն ետ զնա„. Իսկ անկիր մնացեալ եւ անայլայլակ ըստ աստուածութեանն՝ ըստ ասացելումն ի մարգարէէն. “Ես եմ Աստուած եւ ոչ այլայլիմ„: Մեռանելով զմերն մահ ըստ մարմնոյ վասն մեղաց. զի զմահ խողխողեսցէ ի ձեռն վասն մեր մահուան ըստ ասողի Առաքելոյն. “Ընկղմեցաւ մահ յաղթութիւն քո. ո՞ւր մահ խայթոց քո„: Եւ դարձեալ՝ Քրիստոս մեռաւ վասն մեղաց մերոց ըստ գրելոյն„: Անըմբռնելի իսկ եւ անմահ մահուամբ մնացեալ յաղագս աստուածութեանն ըստ ասողին Պետրոսի. “Ոչ էր, ասէ, կար ըմբռնել նմա ի մահուանէ„ վերագնացեալ յերկինս եւ նստեալ ընդ աջմէ Հօր յերկրէ բարձրացեալ մարմին բանին ըստ ասելոյն Դաւթայ. “Ասաց Տէր Տեառն իմում. Նիստ յաջմէ իմմէ„. եւ ի նմանէ ի Տեառնէ հաստատեալ եւ յառաքելոցն. իսկ ըստ աստուածութեանն պարունակելով ընդ Հօր ի յաւիտենի յաւետակից որպէս հայրական եւ անճառ զօրութիւն ըստ վարդապետին Պաւղոսի՝ “Քրիստոս Աստուծոյ զօրութիւն եւ Աստուծոյ իմաս-

dum spiritum,[1] Filium autem hominis secundum carnem; non duas naturas, unam quidem adorandam, alteram non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam et adoratam una cum sua carne.[2]

Neque duos Filios, alium Filium Dei verum et adoratum, et alium ex Maria hominem non adoratum uti hominem, sed de Deo et Deum, prout dixi; unum eundemque Filium Dei et Deum, non alium, ex Maria natum in novissimis diebus, uti angelus Deiparae dicenti: „Quomodo fiet istud mihi, quoniam virum non cognosco", aiebat: „Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te natum est sanctum vocabitur et Filius Dei".

Quod natum Sanctum vocabitur, et Filius Dei ex nunc ex Virgine Maria; Filius Dei natura et Deus verus non per gratiam aut per coaptationem *(συναφεία)*; secundum carnem solummodo ex Maria homo, secundum spiritum autem ipse Filius Dei et Deus, passus nostra, ut scriptum est: „Christo passo pro nobis in carne"; et rursum: „Qui Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum", tamen inpassibilis permanens et inalterabilis secundum divinitatem, prout dictum est a propheta: „Ego sum Deus et non mutor." Mortuus est nostra morte secundum carnem pro peccatis, ut mortem jugularet per mortem quae pro nobis, secundum Apostolum dicentem: „Absorpta est, mors, victoria tua, ubi est mors, stimulus tuus?" Et iterum; „Christus mortuus est pro nostris peccatis secundum scripta." In morte ipsa incomprehensibilis et immortalis permanens propter divinitatem, sicut incontaminata Patris virtus, secundum Petrum dicentem: „Impossibile erat teneri illum a morte" (Act. c. II. 24.); ascendens in coelum et consedens ad dextram Patris e terra elevata caro Verbi, secundum dictum Davidis: „Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis", quod ab ipso quoque Domino confirmatum et ab Apostolis eius; secundum divinitatem vero coëxistens cum Patre et ab aeterno coaeternus, tamquam paterna ineffabilisque virtus,

[1] Scil. secundum divinitatem; is peculiaris S. Athanasii loquendi modus.

[2] Athan. in libr. de Incarn. Verbi: *Ὁμολογοῦμεν καὶ εἶναι αὐτὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸν κατὰ πνεῦμα, Υἱὸν ἀνθρώπου κατὰ σάρκα. Οὐ δύο φύσεις τὸν ἕνα Υἱόν, μίαν προσκυνητὸν, καὶ μίαν ἀπροσκύνητον· ἀλλὰ μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, καὶ προσκυνουμένην μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ μιᾷ προσκυνήσει.*

տութիւն„. գալոց է ինքն Որդին Աստուծոյ եւ Աստուած, որպէս եւ խոստացաւ. դատել զկենդանիս եւ զմեռեալս, որպէս ասէ Առաքեալն. "Դատիչն զծածկոյթս խաւարի, եւ յայտնողն զխորհուրդս սըրտից եւ զգովութիւն եւ զանգոսնումն ըստ արժանաւորութեան վերքերող զիւրաքանչիւրն„:

"Իսկ եթէ ոք քան զայս յաստուածայնոց գրեալցն ուսուցանէ՝ միւս ասելով զՈրդին Աստուծոյ, եւ միւս՝ ի Մարեմայն մարդ, կամ եթէ ոք զՏեառն մերոյ մարմինն ի վերուստ ասէ եւ ոչ ի Կուսէն Մարիամայ. կամ հեղեալ զաստուածութիւնն ի մարմին, կամ խառնեալ կամ այլայլեալ, կամ ախտակիր զՈրդւոյն աստուածութիւնն, կամ աներկրպագելի զՏեառն մերոյ մարմինն, որպէս մարդոյ, եւ ոչ երկրպագելի իբրեւ Տեառն եւ Աստուծոյ, զսա նզովէ սուրբ եւ ընդհանրական եկեղեցի, հաւանեալ աստուածազան Առաքելոյն ասողին. "Եթէ ոք ծեզ աւետարանէ քան զոր առէքն, նզովեալ եղիցի„:

secundum Paulum docentem: „Christum Dei virtutem et Dei sapientiam". Venturus est ipse Dei Filius et Deus, prout promisit, judicare vivos et mortuos, sicut ait Apostolus: Qui judicat occulta tenebrarum et manifestat consilia cordium et laudem et opprobrium juxta merita retribuit unicuique.

Si quis autem praeter haec divina scripta docuerit, alium dicendum esse Filium Dei, aliumque ex Maria hominem, sive quis Domini nostri carnem de superis esse dicat, non autem ex Virgine Maria, aut transmutatam divinitatem in carnem vel permixtam aut alteratam vel passioni obnoxiam Filii divinitatem, aut non adorandam Domini nostri carnem, veluti hominis, et non magis adorandam tamquam Domini et Dei carnem, ipsum anathematizat sancta et catholica ecclesia, assentiens divino Apostolo dicenti: „Si quis vobis evangelizaverit praeterquam accepistis, anathema sit."

In ista fidei professione aut Symboli explanatione, praesertim in eius anathematismo ad formam Nicaeni confecto, perstringit breviter S. Doctor fere omnia, quae in sua ad Epictetum Corinthiorum episcopum epistola docuit. Quo fit, ut nunc a nobis aliquantum accuratius determinari possit quo tempore nostrum Symbolum confectum sit. Divus enim Athanasius primum in Synodo Alexandrina anno 362 errorem Apollinaris oppugnavit, epistola autem ad Epictetum nonnisi versus annum 371 ab eo exarata est; Symbolum ergo nostrum non potest confectum ab eo esse neque ante an. 362, neque ut videtur, post annum 371, cum nulla in eo habeatur duarum in Christo naturarum erroris confutatio.

Hanc refutationem jam continet etiam tertia formula, quam supra transscripsimus ab Epiphanio, quaeque non est nisi nostri Symboli ulterior amplificatio. An igitur etiam haec auctorem habeat divum Athanasium († 373), manet incertum.

Hoc unum tamen observandum fuerit, usum formularum et secundae et tertiae, pertinere, inquantum a nobis hactenus cognoscitur, ad Orientis provinciam sive Syriam, quae patria fuit infelix tam Apollinarismi, quam dualismi personarum in Christo. Evagrius aeque ac Epiphanius ad eam pertinuerunt. Syri proprie dicti, apud quos jam initio VI. saeculi in usu reperimus formulam secundam, nostrum

videlicet Symbolum, partem efformabant illius provinciae iecclesiasticae. Denique Armenios quoque jam observavimus, sta m formulam ab his postremis maxima probabilitate accepisse. Porro fieri potuit ut Evagrius nostrum Symbolum et in Aegypto cognoverit, quum diu inter Monachos ibi viveret. Id vero hac in terra, certe aliquot tempus in usu versatum esse demonstrat indubie sic dicta Liturgia S. Marci, quum in huius Epiclesi legatur:

Ἐξαπόστειλον ἐξ ὕψους τοῦ ἁγίου σου, αὐτὸν τὸν Παράκλητον, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸν Κύριον τὸν Ζωοποιόν, τὸν ἐν νόμῳ καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις λαλῆσαν. (Daniel. Tom. IV. Fasc. I. pag. 162.)

Postremo non est praetereundum quod in Armeniorum sacra liturgia post nostri Symboli anathematismum accedit brevis „Glorificatio“, quae non tantum a recentioribus, verum etiam a priscis nostris scriptoribus Divo Gregorio Illuminatori attribuitur, et tam in editionibus quam in manuscriptis habet epigraphen: „Gregorii Illuminatoris“, neque Lampronensis dubitat ipsi eam adscribere. Quod ad sensum pertinet, nemo sane negare potest esse doctrinae S. Gregorii cumque ea consentire. Eum vero talem glorificationem iisdem conceptis verbis in armeniaca Ecclesia reliquisse minime satis illa Epigraphe demonstrat. Nam ea epigraphe eget antiquitate, VII. enim saeculo nondum est (apud Nersetem III.), dein glorificatio ipsa prorsus dependet a Symbolo, quia in illa orthodoxi anathematizatis iis, qui consubstantialitatem Trinitatis negant, se ipsos ab his discernunt et exhortantur, ut vera fides conservaretur. (Nos autem etc.) Itaque cum Symbolum ipsum sancto Gregorio vel eius successoribus primis tribuendum non esse demonstravimus, eo ipso hoc additamentum iis auctoribus attribui nequit. Sed facile pronum est concludere, cum initio saeculi VI., ut supra diximus, impellentibus controversiis monophysiticis hoc Symbolum in usum veniret, etiam additamentum illud ei agglutinatum esse.

Quem vero in finem? Erat argumentum Nestorianorum affirmantium: Si Christus homo hominisque filius non aliam personam haberet, alienum aliquid in Trinitatem venisset. Merito huic opposuerunt Catholici, errore utique Nestorii quartam personam in Trinitatem venire. Armenii, qui sub fine saeculi V. haud satis discernere potuerunt doctrinam

IV. concilii oecumenici de duabus in una persona divina naturis, ab errore duarum personarum in Christo, perrexerunt, ut nobis eorum opera originem ducentia ab illo tempore declarant, verba eadem eademque argumenta repetere, quae (ex. gr.) in Tomo Procli ad Armenios contra Nestorium invenerant, quasi nihil haberent, quod impugnarent nisi errores Theodori Mopsuestensis et Nestorii.

Num glorificatio, de qua quaestio est, in Missa tantum cum Symbolo recitata sit?

Si respicimus nostram praesentem consuetudinem, hoc fit. Extra Missam non usus. Ea vero circumscriptio non diu exstare videtur. Sane haec glorificatio quae est professio S. Trinitatis, est in baptismate, imo in Catechumenatu aptissima et naturalis. Veri simillimum est eius usum in Catechumenatu eo sublatum esse, quod editiones Ritualium Tergesti et Venetiis a Mechitharistis in usum Catholicorum curatae eam glorificationem una cum anathematismo neglexere.

Huius omissionis causa erat usus communis manuscriptorum Symbolum non perfecte transcribendi sed eo loco tantummodo in rubrica significandi hic esse Symbolum eiusque orationem recitandam. Eam rubricam invenimus etiam in antiquissimis ritualibus. Quid tamen aliud hic significare potest vox „oratio", quam ipsam glorificationem, de qua agimus? Et revera apud nostros non unitos fratres ea nunquam non in Catechumenatu recitari debet; nam in eorum ritualibus, ut in rituali anni 1857 (pag. 18.), glorificatio, de qua quaestio est, plane significata est.

6.

Alia apud Armenios recentiores Fidei professio ex variis concinnata.

Aliquod fuit tempus, quo viri protestantes regiones Orientis percurrebant, ut notitias colligerent circa doctrinam atque disciplinam Christianorum ab ecclesia catholica seiunctorum, quo fulcimen et firmamentum invenire possent suis erroribus. Ad hanc cathegoriam viatorum pertinet etiam eques Anglus Ricaut,[1] qui versus an. 1680 Constantinopolim veniens, voluit etiam de statu Armeniorum

---

[1] Histoire de l'estat présent de l'église Grecque et de l'église Arménienne, par M. le Chevalier Ricaut, traduite de l'anglais par M. de Rosemonde, Middelbourg, 1692.

ecclesiae certior fieri. Habuit in hac re ducem virum ecclesiasticum ex Armeniis acatholicum, qui illi indicavit veluti praecipuum Armeniorum Ecclesiae Symbolum, eam fidei professionem, quae postea etiam a Schrodero latine edita est nempe sequentem:

„Confitemur et credimus omnimode perfecto corde Deum Patrem non factum, non genitum nec principiatum, etiam genitorem Filii et Spiratorem Spiritus Sancti."

„Credimus Deum Verbum non factum, genitum et principiatum ex Patre ante saecula, qui non posterior neque minor, sed quatenus Pater fuit Pater, et Filius simul fuit Filius."

„Credimus Spiritum Sanctum, non factum, tempore carentem, non genitum, sed emanatum ex Patre, consubstantialem Patri et conglorium Filio."

„Credimus Trinitatem Sanctam, unam naturam, unam divinitatem, non tamen tres Deos, sed unum Deum, unam voluntatem, unum regnum, unam potestatem, creatorem visibilium et invisibilium."

„Credimus in ecclesiam sanctam, remissionem peccatorum, communionem sanctorum."

„Credimus unum ex tribus personis Deum Verbum genitum ex Patre ante saecula, in tempore descendisse in Deiparam Virginem, qui id quod ex eius sanguine sumpsit, univit cum sua divinitate, per novem menses commoratus in utero immaculatae Virginis, et cum Deus esset perfectus, factus est homo perfectus cum anima ac mente et carne, una hypostasis, una persona et una natura unita (unificata)."

„Deus homo factus absque mutatione, absque alteratione, conceptus sine semine et generatus incorrupte. Sicuti non est initium divinitatis eius, itaque neque finis humanitatis eius, quoniam Jesus Christus heri et hodie, idem et in saecula."

„Credimus Dominum Jesum Christum, postquam ambulavit supra terram triginta annos, venisse ad baptismum, Patrem testatum esse: Hic est Filius meus dilectus; et Spiritum Sanctum in forma columbae descendisse. Tentatum a Satana, vicisse eum, praedicasse hominibus salutem, laborasse corpore, delassatum fuisse, esuriisse ac sitiisse, post haec venisse voluntarie ad passionem; crucifixum et mortuum esse corpore, sed vivum divinitate, corpus positum in sepulcro unitum divinitati, et anima descendisse ad

inferos indivisa a divinitate, praedicasse animabus, destruxisse inferos et liberasse animas. Post triduum resurrexisse a mortuis et apparuisse discipulis suis."

„Credimus Dominum Nostrum Jesum Christum eadem carne ascendisse in coelos et consedisse ad dexteram Patris, venturum quoque eadem cum carne et in gloria Patris judicare vivos et mortuos, qui est et resurrectio omnium hominum."

„Credimus et retributionem operum, justis vitam aeternam et peccatoribus poenam aeternam."

Nimis abest a vero rerum statu, quod Schroderus de hac fidei professione ait:

„Quod de Symbolo Apostolico non sine ratione dicitur, idem de antiqua hac Armeniarum ecclesiarum confessione eo confidentius asseritur, quo minus natales eiusdem in Armeniorum annalibus deprehendi possunt. Unde maxime videtur veritati consentaneum, huius confessionis elementa, seu simplicissima christianae religionis principia, ab ipso S. Gregorio, cum Haicanam nationem ad fidem in Christum converteret, esse tradita, quae postmodum variarum occasione haeresum, in ecclesia Dei suppullantium, a patriarchis, archiepiscopis, episcopis novis accessionibus locupletata, haec tandem produxerunt fidei christianae confessionem." Nihilo minus haec fidei christianae confessio non est nisi aetatis recentioris, scil. dimidio saeculi XIV. compilata a schola Tathevensium acerrimorum propugnatorum Armenii schismatis contra Fratres praedicatores Armenios, qui causam orthodoxiae promovebant et unionis cum Sede Apostolica. Formula illa: natura unita, id est: una ex duabus composita natura, propria fuit illius scholae furibundae tessera.

Compilata est illa professio partim 1. ex Symbolo vigente apud Armenios, prae oculis habendo etiam 2. Symbolum sic dictum Athanasianum (uti testantur nonnullae dictiones in primis periodis). Nec enim Symbolum, quod Athanasianum dicitur, fuit nostratibus prorsus ignotum. Magister Esaias, saec. XIII. in Armenia Propria multorum discipulorum praeceptor, in suo de Fide Tractatu, qui adhuc inter manuscripta jacet eo utitur. Huius Symboli versio fieri debuit multo ante ex graeco, integraque habetur in Armeniis codicibus, et 3. Symbolum quoque Apostolicum, quod cognoverunt Armenii saeculo XIV. (uti habetur ex verbis). communionem Sanctorum. 4. Reliqua ex ingenio compilatoris:

In codicibus habetur in fine eius professionis monitum a Ricautio quoque partim allatum, quod probabiliter derivatur ab ipso auctore, cum sequenti tenore:

„Haec est orthodoxa fidei professio, quam quilibet christianus semper retinere debet in corde et in ore; quoniam credere corde facit justitiam et ore profiteri, salutem, ait Apostolus. Hoc est fundamentum, super quod oportet aedificare opus bonum. Haec est petra, cui oportet adhaerere et super quam inniti debemus. Ipsa est lucerna in mundo obscuro, et ipsam gestando semper in manu illuminari oportet. Ipsa est via et super eam ambulabimus ad vitam aeternam per Christum Jesum Dominum Nostrum, cum quo Patri simul et Sancto Spiritui gloria et gratiarum actio nunc et in saecula saeculorum. Amen."

Reapse periculum erat, ne haec professio posset inter Armenios substitui Symbolo, de quo hactenus egimus, quodque Nicaeno-Athanasianum apte appellari posse censemus. Supercitatus Ricaut nihil aliud facit, nisi scripto tradere ea, quae auribus ab Armeniis ipsis saeculi XVII. perceperat, dum de ea recenti fidei professione asserit: „Hoc est Symbolum, quod Armenii docent filios et explicant in suis scholis et recitant in ecclesiis eo modo, quo ipsi (protestantes) utimur Symbolo Apostolico." (op. cit. pag. 408). Utique non tantum in Armenio Pontificali in ordinatione sacerdotis, etiam diaconi interdum, nec non in Doctoratus collatione ea professio adhibebatur et nunc quoque adhibetur, verum etiam quotidie recitatur ea ante Officium divinum in omnibus ecclesiis Armeniorum acatholicorum. Hinc patet usum nostri Symboli seu Nicaeni-Athanasiani olim apud eos reductum esse ad sacram Missae celebrationem et baptismi collationem; nostra tamen aetate sua jura vindicavit antiquum Symbolum ita, ut ad imitationem catechesium et librorum precum, quibus eorum catholici fratres utuntur, Armenii etiam acatholici nonnisi priscum eorum Symbolum edoceant juventutem.

7.

Nonnulla Sacrae Congregationis de Propaganda Fide de duabus fidei professionibus rectificationes.

Etiam Armenii catholicae communionis aliquem adhuc hodie usum faciunt praemissae fidei professionis, videlicet

in collatione ordinum, etsi semper mutatis mutandis; maiorem, saltem olim, fecissent usum, si Horae Canonicae editae non fuissent, nisi typis Armeniorum acatholicorum, uti contingit relate ad Pontificale. Per typos tamen P. P. Mechitharistarum effectos ex Codd. antiquioribus, in quibus minime est ea Fidei professio ab errore non prorsus immunis, ita factum est, ut apud Catholicos in desuetudinem abierit eius recitatio ante officium divinum inchoatum.

Antehac tamen, anno 1677, edita Liturgia Armenia Romae typis Sacrae Congregationis de Prop. Fide, ad calcem accesserunt „Correctiones officii divini Armeniorum". In harum cap. 57, praemisso hoc monito: „Qui voluerint recitare: Confitemur et credimus omnino perfecto corde etc., dicant sic", castigantur perpauca. ex. causa: pro univit cum divinitate, corrigitur: univit cum sua divinitate, quod tamen etiam in Armenio juxta Codd. legitur: „Sua divinitate"; item pro una natura unita, sic: unitus in duabus naturis; pro: processit ex Patre, sic: „Processit ex Patre Filioque".

Certissimum est eo tempore neminem rationem dedisse vel dare potuisse Sanctae Sedi de origine huius professionis. Hodie sane, quia scimus unde illa orta sit, praeferendum putarem in odium eius auctorum in proximo librorum nostrorum examine prorsus opprimendum esse qualemcumque eius usum apud nos adhuc superstitem.

Etiam quoad Symbolum nostrum Nicaenum-Athanasianum nonnulla in praedictis Correctionibus rectificari jubentur. At ante hoc, saltem quoad usum eius in sacra Liturgia, aliter provisum erat, cum publicaretur Romae anno 1642 Missa Armenia sub hoc titulo: Ordo divinae Missae Armeniorum, typis et expensis S. Cong. Prop. Fidei, tamquam „Liturgia Armeniorum recognita" (pag. 1.). Haec recognitio facta est per Vincentium Ricardi Clericum Regularem, Congr. Prop. Fidei theologum, uti testatur in sequenti modo: „Liturgiam hanc Armeniorum, potestate mihi facta a sacra Cardinalium Congregatione super negotiis Armeniorum, recognovi, et ex decreto eiusdem Sacrae Congregationis censura emendavi, Romae, die Maij 1636"; cui suffragatur Interpres eiusdem Congregationis: „Jo Giov. Molino Interprete di Ordine della sagra Congregatione de Prop. Fide, ho visto e rincontrato il latino con l'armeno, che si confronta giustamente."

Ibi nostro Nicaeno-Athanasiano prorsus sublato, substitum est Symbolum Constantinopolitanum cum versione Armenia, Armenii idiomatis ingenio non ubique congrua.

Transactis autem 40 circiter annis, data occasione amplioris librorum liturgicorum Armeniorum recognitionis, quae tunc imprimis festitanionem petiit pro gente Armenia Regni Poloniae, redditum est Armeniae liturgiae Symbolum suum.

Puncta tamen nonnulla, numero septem, in eo immutata fuerunt, quae duplicis generis sunt, videlicet alia doctrinalia, alia autem grammaticalia. Nostra, quae Viennae est bibliotheca, continet exemplaria aliquot litterarum lingua Italica, quae Armenii Poloniae incolae ad presbyterum Basilium Armenium Constantinopolitanum cum cognomine Holov mittebant. In his magnam Armenii idiomatis peritiae dabant laudem suae nationis gentes, quam jure meritum fuisse nullomodo videtur. Mirum est talem sibi elegisse vel approbasse tunc temporis Poloniae Armenios interpretem apud Sacram Congregationem; tanta enim erat illius aevi Armeniorum studiorum negligentia. Cum paulo post Mechitharistarum extitit Ordo, sacra Congregatio usa est Mechitharis eorum fundatoris opera in simili negotio, videlicet ad recognitionem Missalis Ordinis Fratrum Praedicatorum Armeniorum (anno 1724).

Observantia rectificationum, quae partem spectant doctrinalem, perfectissima semper inter Catholicos fuit. At nonnullae male conceptae emendationes mere grammaticales, peculiari grammatica Basilii innixae executioni mandatae non sunt ab Armeniis etiam Catholicis fere totius orbis, sequendo in hac re prudentiam, quae a sacra Congregatione commendari videtur in fine illarum emendationum. Ipsi enim Eminentissimi Patres non videntur perfectam in Basilii peritia fiduciam posuisse, ideoque cautelas opportunas adhibendo, observasse eos plane circa mere grammaticalia nihil statuere voluisse additis in finem correctionum his verbis: „Verum menda, quae contra grammaticam aut Haicanismum sunt, ipsa (Sacra Congr.) corrigere noluit, ne durum plerisque videatur. Sed permisit doctoribus veritatis amantibus et doctis studiosisque, ut ii, qui peritissimi Haicanae linguae sunt, juxta locum et tempus prudenter et veraciter operam dent ad ea corrigenda, et in omnibus et pro omnibus veritas Christi laudetur ad maiorem Dei

gloriam (pag. 30.).[1] Si in ista recognitione auctore interprete i. e. in eius testimonium quaedam mutata sunt, quae immutata manere potuerunt nonnullaeque grammaticales singularitates correctionibus ante dictis obrepserunt, sacrae congregationi ratio eius non reddenda est, sed iis ipsis, qui Congregationi interpretem illum tamquam eum, cui confidunt, commendaverunt. Id fecerunt Armenii Poloniae, quia rectificationes, de quibus quaestio est, iis primus destinatae erant; iidemque et sanctam sedem impulerunt ad hanc rem festinandam et interpretem ad astra tollebant, ut nonnullae in nostra bibliotheca servatae epistolae illius temporis testantur.

Post aliquantum temporis spatium simulac catholici Armenii de his correctionibus aliisque rebus in his nondum commemoratis non semper inter se consentaneas observationes S. Sedi facere coeperunt, placuit Sedi apostolicae utramque partem audire. Tum a compluribus vota postulata sunt, quorum nonnulla exemplaria in archivo patriarchatus Constantinopolitani conservata sunt, praecipue voti cuiusdam Piatti alteriusque voti Cardinalis Mai, quod aliquid historiae illius negotii continet. Nobis vero non notum est, quomodo et quamobrem rursus in medio relinqueretur. Novissimo tempore multum disputatum est rem denuo esse considerandam; nunquam vero aliquid factum est. Tandem Synodo jussu Sanctae Sedis proximo anno habitae commendata est, ut universa recognitio liturgicorum librorum fieret eventusque rei Sanctae Sedi praeberetur.

Nos certe non habemus, cur de hac prolatione quaeramur, quum spes adsit meliorem in modum rem agi posse, quam ullo alio tempore. Prolationis vero causa erat, ut nobis videtur, et immodesta intemperantia quorundam omnia mutandi et aliorum studium omnia sine discrimine in Armeniacis libris liturgicis lecta intactilia statuendi.

Iis, qui huic posteriori sententiae inserviebant aut adhuc inserviunt, certe haec duo in usu discernenda sunt, quum id ipsum discrimen nos ad exitum quaestionis adducat. Ii loci nostrorum librorum ecclesiasticorum, de quibus quaestio est quum habeant offensionem, fere omnes sane in rectum sensum accipi vel explicari possunt; possunt loci analogi ex sanctis Patribus afferi, denique theologice probari possunt

[1] Translatum ex Armenio, cum textus latinus praesto non sit.

isque honor his libris jam satis est. Sed non de hac re agitur; quaestio enim est de libris usurpatis in Liturgia, in divino officio, in communi oratione deque vocabulis, quae continentur in illis libris. Hac in re regula practica alia est. Sancta Sedes opera patristica, in quibus quaedam obscura sunt, non tangit neque mutantur ea; sed si res cogit nonnullae notae adjunguntur. Saepissime literatura Armeniaca hoc modo Romae tractata est ut exemplo utar liber Nersetis Lampronensis de institutionibus ecclesiasticis, qui quamvis accusatus tamen non proprio examini subiectus dimissus est.

Libris vero, qui destinati sunt ut in ecclesia utantur, ut cum Deo loquamur, ut in auribus piorum fidelium intonent, habemus providentiam convenientiae, quam ecclesia attento animo conspicit. Quin etiam ecclesiae Romanae ipsi non offensioni fuit, missas occidentales, breviaria, martyrologium etc., quae priscas venerabiles partes multo plures, quam nostra habebant, illustrare, explicare, magis ad aedificandum Clerum et plebem christianam formare. Rectificationes revera non semper tales sunt, quae vitia emendent, sed imo, quae lectoribus et auditoribus perspicua faciant.

Saepe exemplum librorum liturgicorum Ecclesiae Graecae affertur; Sancta Sedes in iis nihil correxit, ut dicitur, quare ergo non idem et nostris continget? Sed non verum est nihil in iis rectificatum esse; porro si quis paulum altiores cognitiones et librorum Graecorum et Armeniorum habebit, sciet hos in hac re cum illis prorsus conferri non posse. In Armeniacis libris interdum loci suspiciosi reperiuntur sicut de doctrina incarnationis, qui ibi nullo loco leguntur. Petitur moderatio. Sane S. Sedes Graecos summa cum moderatione tractavit; eadem ceteris paribus et Armeniacis continget, quoad in Domino fieri potest, et Clero Armeniaco bona voluntas et optima facultas suppeditat, ut hac in re S. Sedi auxilium afferat. Ut vero sine discrimine omnia probentur, est postulatio cui nunquam in ecelesia catholica satisfieri potuit. Necesse est enim, ut aeque „lex credendi“ statuat „legem precandi“ ac vice versa.

Nunc ad rem.

Ad num. 11. jubetur: „Non dicatur: idem ipse ex natura Patris, sed dicatur: ipse consubstantialis Patri.“

Non quidem absque ratione praecipiebatur, pro ea phrasi: eundem ipsum ex natura Patris, exprimi potius per unicum terminum illam celebrem vocem *ὁμοούσιος* in tali Symbolo substantialiter Nicaeno; et jam supra observavimus originaliter ita fuisse etiam in nostro Armenio, scilicet cum hic unica vox esset, lapsu temporis ea in phrasim soluta est.

Verissimum est, vocabulum *Համագոյակից* offendere purismum Armenium hodiernum; valde facile tamen remedium afferri potest dempta solummodo particula: *Համա*; quod enim superest extra omnem exceptionem positum est. Armeniaca literatura, eminenter christiana, insolitam habet copiam terminorum aequivalentium voci *ὁμοούσιος*, quique huius vocis versionem praebent accuratissimam et magis minusve sunt usitati. Usitatiores: *էակից, իսկակից, գոյակից, միասնական*; dein: *ընակից, միազօր, ի միասին էական, միէութիւն, միընութիւն*; denique non tam purismo faventes: *Համագոյ, Համագոյակից, Համաբուն, Համէական, Համագոյական, Համաբնական*, etc. Hymni nostri variis ex aetatibus eos exhibent in omnibus fere paginis.

Item ad num. 11. inter Credimus addatur: ex Patre et Filio emanatur, et dicatur sic: Credimus in Sanctum Spiritum, in non factum et perfectum, qui a Patre et Filio emanatur etc.

Vidimus supra, nostrum Symbolum Nicaeno-Athanasianum esse nostrorum negligentia mutilatum in hoc loco Spiritum Sanctum respiciente adeo, ut omnibus servatis, quae ad eius divinitatem attinent, omnia omittantur, quae eius in Trinitate personarum relationem designant. In Graeco textu habetur: Credimus et in Spiritum Sanctum, non alienum Patris et Filii, sed consubstantialem Patri et Filio etc., quod in lingua Divi Athanasii significat Sanctum Spiritum a Patre Filioque esse; eamque divinitatem Spiritus Sancti, contra illos, qui eam, agnoscentes Filium verum Deum, negabant passim, demonstrat Sanctus Pater eo, quod Spiritus sic a Filio est, ut hic a Patre. Re quidem vera in alia formula Symboli apud Epiphanium, quod eiusdem generis est cum nostro Nicaeno-Athanasiano ponitur expresse: „Spiritum Paracletum, increatum, a Patre procedentem et a Filio accipientem.“ Porro juxta nostrum Nersetem Lampronensem in nostro quoque

Armenio textu legendum esset, ut quoad Filium: ex eadem ipsa natura Patris, ita etiam quoad Spiritum Sanctum: ex eadem ipsa substantia Patris et Filii", dum e contra hodie totum deperditum est.

Jamdudum Concilii Florentini tempore Eugenius IV. in suo ad Armenios Decreto insinuabat, ut insereretur in eorum Symbolo professio processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, saltem Dominicis praecipuisque Festis. Ideo probabilissimum putamus etiam diu ante praecitatas correctiones, quae huiusmodi professionis additionem pro quavis Symboli recitatione praecipiunt, jam sacerdotes nostros sincere catholicos eam fecisse. Nihil utique opportunius statui poterat in tutamen animarum adversus illum errorem plagis orientis prorsus singularem. Sacra Congr. de Prop. Fide jussu Sanctissimi scripsit die 14. Julii 1833 ad Antonium Nurigian Archiepiscopum Primatem Constantinopolitanum, cum esset Card. Pedicini Praefectus et Angelus Mai Secretarius: „Sacra Congr. te monet, ut capita illa, quae tu ipse dicis notas esse seu characteres, quibus Catholici Armenii a Schismaticis Haereticisque distinguuntur, seque cum Ecclesia Romana consentire demonstrant, prorsus retineas, sunt autem haec. 1. Professio in Symbolo, quod Spiritus Sanctus non solum a Patre, verum etiam a Filio procedat. Et quidem cave, ne vocabulum ullum varies, vel multiplices, sed uno eodemque vocabulo processionem a Patre Filioque declares et confitearis."

Ad num. 12. „Non dicatur: Praedicavit apostolos; sed dicatur: praedicavit missum."

Jam supra animadvertimus neque lectionem: Apostolos *(զառաքեալսն)*, neque lectionem: missum *(զառաքեալն)*, esse genuinas. Attamen Romana censura eo tempore nonnisi inter has duas eligere poterat, ideoque eam anteposuit, quae saltem sensum habebat rectum. Lectio vero genuina, quam optimae Codd. praebent, textusque graecus affirmat, est: in Apostolis (= per Apostolos).

Ad num. 11 iterum: „Non dicatur: generantem[1] a Deo Patre Unigenitum, id est, ex essentia Patris; sed dicatur: generatum a Deo Patre Unigenitum ante omnia saecula."

---

[1] Textus Arm. jam non habet generantem, sed genitum.

Nobis prorsus latet causa, quare ex puncto: id est ex substantia Patris (*τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς* Symboli Nicaeni et fere omnium veterum Symbolorum graecorum), substituatur: antequam[1] (lege: ante) omnia saecula ex Symbolo Constantinopolitano.

Nunc ex omnibus hactenus perpensis nobis licebit, ni fallimur, proponere pro nostro Symbolo:

1um. Faciendam esse recognitionem ad rectificanda nonnulla in textu Armenio hodierno super basim Codicum duce graeco textu.

2um. Dandam esse operam ad redintegrationem quarundam partium deperditarum, iterum super basim Codicum atque Graeci textus.

Textus vero Armenius hoc modo restauratus posset adhiberi in Missa nec non in baptismi collatione nullo additamento facto pro usu fidelium fere quotidiano.

Prolixitatis autem incommodo, quod si objiciatur, remedium aliunde facile affertur.

In Instructione, quam paulo ante citavimus, Sacra Congregatio respondens ad aliqua postulata praelaudati Primatis, tertio in loco hoc observat: „Anathematismus contra Arianos ac Macedonianos (in Symbolo) si in Missa solemni fiat, satis est.“

Nihilominus usus obtinuit ut is recitetur qualibet in Missa fere ab omnibus sacerdotibus. Docemur tamen ex priori formula apud S. Epiphanium (vide supra pág. 28.) etiam Symbolum dictum Constantinopolitanum ab origine suum habuisse anathematismum, attamen, praeeunte in hoc Concilio Constantinopolitano, Ecclesiam tam Graecam, quam Latinam, illum in usu Missae prorsus omisisse constat. Si igitur nostri quoque hoc sequerentur exemplum, et brevitati et simul etiam textus integritati provisum esset.

Haec habuimus disserenda de origine, usu et auctore nostri Symboli, et de vicissitudinibus, quibus subiectum illud fuit.

---

[1] Stephanus Roszka presbyter ex Armeniis Póloniae, alumnus Colegii Urbani in suo Chronico ad an. 1693 de hoc Basilio notat: „Iste liturgiam Armeniorum non bene transtulit in latinum.“ Basilii graeca cognitio videtur minor quam latina fuisse, quum in correctionibus supra dictis observat: „Armeniacum Հոգի Սուրբ, in latina lingua dici Sanctus Spiritus, et in graeca agios Pneumá (arm. Այիոս Փնեւմա)!“

8.

Conclusio.

Hic concluditur simul negotium nostrum cum Magistro Messero; nunc enim liquet hoc nostrum Symbolum Armeniae nihil debere, quam ibi nonnullarum eius partium jacturam; hoc non esse insuper Symbolum, quo patres nostri IV. et V. aevo usi fuerint; neque demonstrari posse Symbolum dictum Constantinopolitanum unquam in usu solemni inter Armenios fuisse; Symbolumque nostrum jam nihil aliud esse, nisi quid huic aequivalens et affine.

His ita constitutis, nostri fratres, qui in Russia morantur, sperare possunt se inde ab hoc tempore cum bona pace suo Symbolo, sub praesidio magni nominis Divi Athanasii, usuros esse. Sed talis eventus non certus est. Pastores Graeco-russi, qui affirmant Patres concilii Ephesini vetuisse quodquam aliud Symbolum extra Nicaenum et Constantinopolitanum usurpari, dicere poterunt tale vetitum etiam ad ea, quae ante annum 431 constituta sunt, pertinere. Antiquius est hoc erroris subterfugium. Sic jam aevo Concilii Ephesini, concilio perfecto, triginta circiter episcopi provinciae Orientis, qui condemnationem Nestorii aegre ferebant, simulaverunt se nihil in Symbolo Nicaeno mutare vel addere voluisse. Similiter Eutyches eo Symbolo uti voluit tamquam clipeo, ne acciperet doctrinam duas esse naturas in Christo, quae ei in Synodo Constantinopolitano anni 448 proposita est. Postea Dioscurus cum sua Pseudo-Synodo Ephesina (σύνοδος ληστική) solemnem omnino in modum eandem perversam sententiam proclamavit. „Audistis nunc, inquit in illo conciliabulo furibundus ille Patriarcha Alexandrinus, primam Synodum Ephesinam comminari in eos, quicunque alia docuerint ac Nicaenum, aut mutaverint id, et novas quaestiones proposuerint. Itaque quisque scriptis exponat, utrum ii, qui in quaestionibus theologicis ultra Symbolum Nicaenum progrediuntur, puniendi sint necne.“ In hanc ipsam causam condemnavit Pseudosynodus illa S. Flavianum, quum „duas esse in Christo naturas“ doceret ultra Symbolum Nicaenum.

Messer, plerumque suorum more, claudicat in duas partes in hac quaestione, nunc graecanis ideis adhaerens detorquet ad eas locum aliquem ex epistola S. Cyrilli ad

4

Acacium Melitinensem episcopum, nunc autem principium sequens verum et catholicum probare studet additiones Symboli Armeniorum non esse condemnandas, cum illae minime contineant novas doctrinas. Licet id verum sit, tamen parum prodest rei Messeri in statu, quo ipse collocatus est.

Conventus orientis christiani jam dudum habent fructum sui schismatis i. e. omnium rerum sterilitatem. Sed enim summa eorum miseria ea est, quod tamquam legem sibi statuerunt talem sterilitatem tum in disciplina tum in doctrina et adeo non erubescunt coram ecclesia catholica, fecundissima matre, quae pergit a valore ad valorem directa semper a Spiritu Sancto, ut glorientur in ista paupertate sua et inopia vitalitatis. Eo caecitatis mentis delapsi sunt! Tales sunt christiani, qui hodie occupant loca earum ecclesiarum, in quibus olim admirabili cum industria thesaurus fidei conquisitus est. Certe huic pravo eorum principio cohaeret absoluta illa Symbolorum intangibilitas, quam Graeci affirmant, quamquam eorum maiores ii erant, ut demonstravimus, qui paulatim symbola necessitatibus temporum et regionum aptaverunt, et, quod consideratu dignum est, symbolum ipsum, quo hodie utuntur, praebet unum ex iis, quae additamentis locupletata et explanata sunt.

Forte felici tale principium immobilitatis parum intellectae non aeque commune est omnibus orientis conventibus christianis. Non solum hoc tempore sed etiam ab initio nunquam Armenii tam rigidi fuerunt. Nihilominus nobis diu prope intuitis eos, frustra esse videtur spectare aevum melius omnibus orientalibus quamdiu hoc falsae stabilitatis perversissimo principio quasi caligine mentes eorum obvolutae sunt seque quamvis miseri felices esse putant. Convenit conferre ad eos verba Domini ad ecclesiam Laodiceae in Apocalypsi: „Dicis, quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurem ignitum probatum ut locuples fias, et vestimentis albis induar.s et non appareat confusio nuditatis tuae et collynio inu nge oculos tuos ut videas.“ (III. 17. 18.)

Sed proh dolor! etiam inter eos, qui magno cum labore e schisma ad veritatem conciliati, communionem et gratiam cum Sede Apostolica habent, perspicitur certe

ad disciplinam plus minusve oppositio et contrarietas adversus plenitudinem sacrorum canonum accipiendam, qui maturuerunt non sine auxilio divino in sanctissima ecclesia Romana.

Quid conveniret recordari et his et illis aptius quam admirabilia verba, quae sub fine saeculi XII. Lucius III. summus pontifex scripsit ad nostros patres in litteris apostolicis?[1]

„Romana Ecclesia, inquit Pontifex Romanus, fundata est supra petram fidei per virtutem Dei, et juxta divinam institutionem habet principatum super omnes ecclesias et potestatem docendi eas omnes et instruendi caetera membra; quia ipsi claves habenti datum est ex Dei beneficio hoc donorum et virium testamentum, ut quidquid ligaverit super terram, ligatum esset et in coelo, et quidquid solverit in terra, solutum esset et in coelo. Haec ergo Ecclesia matrix tamquam mons constituta est, et est eadem firmitas conciliorum acceptabilium; ipsa cum ab initio super fundamentum solidata sit, omnes ubique haereses divellit et omnes haereticorum abominationes impedit, nullo quidem eorum errorum contaminata; quoniam conservavit venustatem fidei, quam princeps Apostolorum ipsi praedicavit, eamque ab ipso acceptam tenet et sine macula atque rugis inspicitur pulchritudo et decor, quem de coelo Deus ei largitus est, qui eam super caeteras ecclesias sancta sua voluntate principem in fidei ordine constituit, ut vires et vitam et aquam gaudii ex hoc divino fonte haurirent; quia ex ipsa est hortus conclusus, fons signatus, qui non timet ab externis malis. In hoc horto sunt plantae multiplices fidei et veritatis fructibus plenae. Huius sponsus est Deus et Dominus noster Jesus Christus, qui est pomum antiquum sub novo datum, qui ipsam ab initio per gratiam inchoans confirmavit. In qua et lex nova in dies roboratur, ipsa enim est doctrinae mater et magistra et omnibus tribuit fidem; et ab ipsa tamquam a capite descendit fides christiana in universum corpus ecclesiae, cui salutem et pacem ubique dispertitur. Fimbriae vestimenti eius a pinguedine sua effundunt oleum laetificans, aspergunt nutriuntque universa membra.

[1] Harum litterarum textum latinum nuspiam invenire potuimus; versio Armenia adhuc inedita, est facta a Nersete Lampronense, hic illuc aliquantum obscura.

Ideo et qui non procedit ab ea cum jure ac justitia, et qui non dirigitur ab Ecclesia Romana, non solidatur, et non alitur, neque saturatur, sed esurit indigens multis, quae ipsa praebet. Qui retia piscationis piscium commutavit cum hominibus piscandis, et jussum accepit a Domino pascendi oves eius, pascit eam, siquis non alitur in eius ovili, errat, quia ad pascendum constituta est super omnes haec Romana Ecclesia et in fidei pasculo eos[1] pascit.“

Verba certe quovis tempore nobis opportuna, magis tamen hoc praesenti; non nobis modo, verum etiam plerisque aliis, imo omnibus.

---

[1] Ambigua vox Armenia զնոսին. quam eas scil. ecclesias. utrumque enim designat, tam eos,

Romae, apud S. Blasium, Mense Martio. 1870.



INDEX



Errata.

Pag.	3	linea 2	lege:	*catechumenatu*
„	11	et alibi	„	*ὁμοούσιον*
„	13	linea 31	„	*nonnulla*
„	15	„ 36	„	*nonnullis*
„	16	„ 20 et 38	„	*poenitentiae*
„	17	„ 11	„	*synonymus*
„	19	„ 26	„	*καθολικὴ*
„	21	„ 35 *b*	„	*Filium Dei*
„	22	„ 53 *a*	„	*nos in veritatem*
„	25	„ 26	„	*ἐξ οὐκ ὄντων*
„	25	„ ultima	„	*accepimus*
„	26	„ 7	„	*cohaerens*
„	26	„ 11	„	*ab ideis*
„	30	„ 18 *c*	„	*resurrectionem*
„	38	„ 35	„	*categoriam*
Pag.	40	linea 21	lege:	*haeresium*
„	40	„ 23	„	*hanc tandem*
„	42	„ 39	„	*die 6 Maij*
„	43	„ 1	„	*substitutum*
„	43	„ 6	„	*festinationem*
„	43	„ 17	„	*Mirum non est*
„	44	„ 8	„	*iis primum*
„	47	„ 34	„	*optimi codices*
„	48	„ *a*	„	*Collegii*
„	49	„ 23	„	*Const. politana*
„	50	„ 37	„	*aurum ignitum*
„	50	„ 39	„	*collyrio*
„	51	„ 28	„	*quia ipsa est*
„	52	„ 6	„	*pascit eas*

Die Apokryphen (Pseudepigraphen) bei den Armeniern.

I. **Kalemkiar P. G.** — Die Apokryphen (Pseudepigraphen) in der armenischen Kirche. (In der Arbeit.)

II. **Catergian, P. J.** — Ecclesiae Ephesinae de obitu Joannis Apostoli narratio. Ex versione armeniaca saeculi V. nunc primum latine cum notis prodita. fl. —.60 = M. 1.—

III. **Kalemkiar, P. G.** — Die siebente Vision Daniels. Wien, 1892. 8°, 42 S. fl. 1.80 = M. 3.—.

IV. **Kalemkiar, P. G.** — Der vom Himmel geschickte Brief Jesu Christi. (In der Arbeit.)

V. **Dashian, P. J.** — Die Lehre der Apostel. (In der Arbeit.)

Dervischian, P. S. — Armeniaca. I. Das altarmenische ք. Ein Beitrag zur indoeuropäischen Lautlehre. 1877 . . . . fl. 2.50 = M. 4.—

Balgy, Archep. **A.** — Historia doctrinae catholicae inter Armenos. 1878. fl. 2.50 = M. 4.—

Dashian, P. J. — Zur Abgar-Sage. 1890. . . . . fl. 1.80 = M. 3.—

— — Das Hochland Ulnia oder Zeitun. 1890. . . . . „ 1.20 = „ 2.—

☞ **Neu erschienen!**

Baroncz, P. R. — Sinnsprüche und Fabeln. 1892, 8°, IV, 192 S. fl. 1.80 = M. 3.—.

Sibilian, P. C. — Klassification der (armenisch-) Rubenischen Münzen. 1892. 8°, XVI + 88 + 32 S. Mit 6 lith. Tafeln (79 Münzen) und 53 Zinkbildern im Text (in neu-armenischer Sprache) . . . . fl. 3.50 = M. 6.—

Catergian, P. J. — De Fidei Symbolo quo Armenii utuntur observationes. Viennae, 1893. 8°, IV. 52 S. . . . . fl. 1.80 = M. 3.—.

Hauptcatalog der armenischen Handschriften.

I. **Band.** Die armenischen Handschriften in Oesterreich.

Heft I. **Dashian, P. J.** — Catalog der Armenischen Handschriften in der k. k. Hofbibliothek zu Wien. 1891. 4°, VIII. 49 S. (deutsch-neuarmenisch) fl. 1.20 = M. 2.—

II. **Band.** Die Armenischen Handschriften in Deutschland.

Heft I. **Kalemkiar, P. G.** — Die Armenischen Handschriften in der k. Hof- und Staatsbibliothek zu München. 1892. 4°, VIII. 37 S. (deutsch-neuarmenisch) fl. —.90 = M. 1.50

III. **Band.** Die Armenischen Handschriften in Russland.

Heft I. **Marr, N.** — Die Armenischen Handschriften von St. Petersburg. (Im Druck.)

Heft II. **Chalathian, G.** — Die Armenischen Handschriften von Moskau. (In der Arbeit.)

IV. **Band.** Die Armenischen Handschriften von Italien.

Heft I. **Miskgian, J.** — Die Armenischen Handschriften von Rom. (Im Druck.)

V. **Band.** Die Armenischen Handschriften von England.

Heft I. **Baronian, S.** — Die Armenischen Handschriften von London (In der Arbeit.)

Heft II. **Baronian, S.** — Die Armenischen Handschriften von Oxford. (In der Arbeit.)

1 fl. ö. W. = 2 Kronen.

